Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/1
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

Pict. 4° 43

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/2
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

# PHILOCALIA
# SACRA,

Id eſt

*VARIARUM DOCTRINARUM*

Theologicarum,

BIBLICARUM, POLEMICARUM, MORALIUM, PATRISTICARUM,

*FARRAGO,*

Theſium qvondam titulo edita,

nunc reviſa & magna ſui parte aucta

à


JOANNE FECHTIO,

S. THEOL. D. ET PROF. PUBL. SERENISS. DUCIS CONSILIAR. CONSIST. DISTR. ROSTOCH. SUPERINTENDENTE ET FACULT. SUÆ SENIORE.


*ACCEDUNT INDICES NECESSARII.*


ROSTOCHI,

Typis & Impenſis JOANNIS WEPPLINGI, SER. PRINCIPIS ET UNIVERS. Typographi.

CIↃ IↃCCVIII.



1708.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/3 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische
Landesbibliothek
5. MAI 1993
Dresden

# VIRO

PRÆNOBILISSIMO ET EXCELLENTISSIMO,

# DOMINO

# JO. GERHARDO ARNOLDO,

GYMNASII AD MOENUM FRANCOFURTANI RECTORI, MERITIS IN HANC SCHOLAM ET REM LITERARIAM OMNEM LONGE CELEBERRIMO,

S. P. P.

## JO. FECHTIUS, D.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/5 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

*EX qvo tempore ſuperioris belli injuriâ divulſi ab invicem ſumus,* ARNOLDE *jucundiſſime, freqventi qvidem, ſed nunquam tamen publico, literarum alloqvio priſtinam amicitiæ inter nos cultæ conſvetudinem ſolati ſumus. Nunc non incommoda ſe mihi offert occaſio, conjunctionem qvondam noſtram & intimam familiariſſimamq; vitæ inter nos actæ atq; officiorum omnium ſocietatem aliis etiam, præterqvam nobismet intra privatas epiſtolas, prædicandi. Nec enim credo arctius facile unqvam coijſſe eorum animos, qvi ijſdem officijs admoti ad unum eundemq; finem, Eccleſiæ ſcholæq; ſalutem, contendunt, ac noſtri fuerunt, mirâ qvadam affectuum harmonia combinati. Verè de nobis pronunciari poterat, unam in utroq; noſtrum animam, unam fuiſſe voluntatem. Qvæ qvo rariore alias vinculo copulantur, eo admirandum magis alijs, qvi in eadem nobiſcum vitæ communione vixerant, videbatur, hanc inter nos mentium conſenſionem & qvaſi concentum non deliqvium tantum nullum unquam, ſed ne deliqvij qvidem ſuſpiciunculam ſubijſſe. Viderat conſpirantem hunc & quaſi fraternâ æqvalitate conflatum in publicam incolumitatem conſenſum Sereniſſimus* FRIDERICUS MAGNUS BADENSIS, *Herus tum & adhuc noſter, eoq; utrumqve* INÆSTIMABILIS PRINCEPS *affectu complectebatur, qui & divulſos à ſe belli furore in terras remotas comitaretur. Utrumq; dimittebat, nec niſi neceſſitate qvapiam fractus, ſummo cum dolore. Utrique ſervabat integrum Eccleſiaſtici Conſiliarij decus, tanqvam perennaturæ erga nos benevolentiæ documentum. Et ne inani nos nomine demulcere videretur, abſentium in rebus arduis conſilia ſubinde hactenus requiſivit.*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/6 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

vit. Poſtremò utrumq́; reverti ad ſe voluit, ſi redditâ imperio pace mutationis moleſtiam perferre ætas utriusqve ingraveſcens poſſet. Et jam ante triennium Auguſta MARCHIONIS conjux, AUGUSTA MARIA HOLSATA, illa exempli virago, illud ſeculi ornamentum, qvum ad Sereniſſimam ſororem, MAGDALENAM SIBYLLAM GUSTROVIENSEM, inviſeret, eâ me verborum comitate, incomparabilis mariti nomine, ad ſe invitavit, quæ & ferreum movere animum potuiſſent, niſi anceps Martis fortuna & ævum præceps, occiduaqve ſenectus, non me tantum, ſed Te quoque, optime ARNOLDE, eò reſpicere potius juberent, ut ex hujus vitæ curis laboribusque, quibus diutius perferendis, annis viribusqve defecti, impares ſumus, erepti vitam ducamus ab omni occupationum concurſuumqve anfractu tranqvillam & qvietam. Ad qvam dum votis ſuſpirijsqve contendimus, an æqvum eſſe dubitaveris, ut neceſſitudinis olim noſtræ, tam candidæ, tam ſanctæ, nullâ unqvam ſimultate, nullâ amaritudine læſæ, publicum poſt utriusqve fata extet monumentum? Sunt utrique nati ex nobis filij, ijqve honeſtis officijs admoti, Tibi filiæ qvoqve, ampliſſimæ dignationis viris in matrimonium collocatæ, qvarum una profilia mea eſt, quam ex ſacri lavacri undis ſuſcepi, ex ijsdem prognati nobis ſunt & nepotes, qvi nominis noſtri memoriam ad poſteritatem, ſi ita ſupremo rerum arbitro viſum fuerit, diffundent. Eosdem ante oculos habere & legere neceſſe eſt, ne oblivione ex animis eorum unquam deleatur, rari inter nos exempli nexum, ut pietate, affectu, amore, officijs eundem, qvotiescunque conjungi illos contigerit, exprimere, eoque Parentum virtutibus addere pondus & æternitatem adlaborent. Libellus, quem Tibi inſcribo, varij argumenti doctrinas in ſe complectitur, conciſius qvidem tra-

ctatas, ut tamen in ipſa brevitate virtus plerumqve lateat, fuſiorem, quæ ab aliis inſtituta eſt, rerum conſiderationem, forte non injucundâ nec inutili diſpenſatione repræſentans. Quali tractationis generi, à pluribus jamdiu amato, tot jam ſunt conqviſiti circumpoſitiq; tituli, ut difficile ſit, novos vel indagari vel inveniri. Itaq; quæ alij vel Analecta dixere, vel Miſcellas, vel Didaſcaliam multiplicem, vel Ephemeridas, vel Adverſaria, vel Eclogas, vel Diatribas, vel Electa, vel Sylvas, ea ego, Gregorij Theologi & Baſilij exemplo, qui ex Origene ἐκλογὰς χρησίμους τοῖς φιλολόγοις confecerunt, PHILOCALIÆ modeſto pariter & jucundo nomine inſignire volui. De hujusmodi ζητήμασι καὶ διαλύσεσι, ut de excerptis Origenianis Gregorius loquitur, freqvens nobis olim Durlaci ſermo & quotidiana quaſi collocutio fuerat. Nam PRINCEPS, laude pariter noſtrâ & veneratione major, tanto in literas ferebatur affectu, ut gloriæ ſuæ præcipuam videretur partem in conquirendis ſolidæ eruditionis doctoribus collocare. Contenderunt itaq; quaſi de palmâ, ex honeſtiſſimis conatibus reportandâ, Fœrtſchius, Majus, Scherſius, Morſtadius, Bulyofskius, cum quibus Tu, ARNOLDE, & Ego, qui præterea univerſæ illuſtris Scholæ oeconomiæ præeſſe juſſi eramus, ſocias operas conjunximus. Tantâ quidem omnes conſenſione, ut certare ſinguli honeſtâ æmulatione de deſiderio Divini PRINCIPIS implendo videremur. Quod & eò feliciori cum ſucceſſu fieri poterat, quod & cæteri fere omnes ex diſciplinâ quondam noſtrâ eſſent egreſſi, quibus proinde patrum quaſi loco eramus, nec eo adhuc tempore lues illa, quæ dum quidlibet pro lubitu credendi licentiam non clam amplius ſed palam parturit, pietatem verborum geſtuumq; ampullis mentitur, animos docentium diſtraxiſſet. Nec credo, diſcedente à cæteris ad Academiam Gieſſenſem MAJO, unquam divul-

ſos

ſos nos fuiſſe, niſi Gallicani belli ſævitia in remota ab invicem loca univerſos Durlaco expuliſſet. Vivimus tamen, per ſeptendecim quantumlibet annos diſtracti, adhuc omnes, FOERTSCHIUS *Salanam hodie Academiam, antea Tubingenſem, grandi cum purioris doctrinæ gloriâ ornans,* SCHERPFIUS, *valetudinis curam circa perſonas Principes in Sereniſſimâ Aulâ Stutgardianâ præcipuam agens,* MORSTADIUS, *ſacris Principis conſilijs & Eccleſiarum in diſtrictu Lohrano gubernationi admotus,* BULYOFSKIUS, *ejus Gymnaſij, cujus Tu olim,* ARNOLDE, *caput fueras & in quod ut immortalia Tua fuerunt merita, ita nominis Tui memoria erit æterna, Rector, tanti à* PRINCIPE *æſtimatus, ut & ad conſilia Eccleſiæ uſui dicata adhibeat. Qui ſi deferbuerit hæc belli rabies, ex cineribus, quod facere jam ante nuperam invaſionem feliciter cœperat, ad priſtinam gloriam Gymnaſium ſempiternâ cum nominis ſui laude reſuſcitabit. Tu verò,* ARNOLDE, *Francofurtum interea Tuum, curis & laboribus, pro ſtudijs ejus ſolidioribus ſuſceptis, ita Tibi devinxiſti, ut celeberrimæ Reip. annales nomen Tuum & illuſtria in ſe merita perpetuo encomio ſint prædicaturi. Quod ſi à Te publico nomine petere quidpiam fas eſt, novi in ſcrinijs Tuis deliteſcere confectas à Te ingenti longoq; labore Tabulas Chronologicas, uberiorem curatioremq; earum rerum, quas Schraderianæ comprehendunt, recenſionem complexas. Has in uſum diſcentium ita adornaveras, ut & temporis, quo quidlibet geſtum eſt, articulus & hiſtoriæ eidem tempori parallela & fuſior rerum omnium enarratio, non chronologiam tantum, ſed hiſtoriam ſimul in compendio univerſam, uno quaſi proſpectu & accuratius referrent. Quæ Tabularum diſpoſitio, quem in capiendis tenendisq; neceſſariæ in omni ſtudiorum genere eruditionis momentis uſum hiſtoriarum culto-*

*ribus*

*ribus adferat, & Tute in docendo quotidie experiris & ego apud animum meum frequenter jam olim atq; hodie quoq;, ubi Eccleſiaſtica hiſtoria exponenda mihi eſt, volvi revolviq;. Has itaq; ſi revidere per reliquas officij Tui functiones poteris, fac quæſo, ut dum luce frueris, lucem adſpiciant. Quousq; enim vitæ hujus uſu DEO volente & jubente perfruimur, cum nobis nati non ſimus, ſed DEO & ſaluti publicæ, ijs, quæ Divinitus conceſſa nobis ſunt, juvandi alios, ad ſpem reip. & Eccleſiæ adoleſcentes, præſidijs opem ferre communi literarum cauſæ debemus, neq; laborandi deq; alijs bene merendi animum niſi cum morte deponere. Ego verò DEUM venerabor, ut vires Tibi in ipſâ ſenecta juveniles ſufficiat, ijs quicquid Tibi ſupereſt vitæ, intra valetudinem ſemper integram & ad votum Tuum fluentem agas, ut ſi cum ſenij incommodis & difficultatibus ex DEI voluntate luctandum Tibi fuerit, moderatæ illæ ſint & paterno ex cœlo ſolatio ſemper imbutæ. Quisquis verò noſtrum prior deceſſerit, (uterq; nempe ætate prorſus æquales ſumus, vix paucorum menſium ſpatio ab invicem diſtantes, & eum vitæ jam terminum adepti, quem fatalem eſſe homini aut fatali proximum pronunciavit Moſes) is alteri apud DEUM & quod reliqvum ei vitæ à DEO deſtinatum eſt, tranquillum & finem illius atq; exitum, ſive tardius is ei ſive maturius contigerit, facilem & beatum, apud DEUM exoret. Nec enim finiendus eſt cum vitæ exceſſu mutuus inter nos amor, qui tantas egit radices, ut nonniſi cum ipſâ animâ, in cujus veluti naturam longa conſvetudine tranſijt, poſſit extingui. Cujus rei teſtem & quaſi obſidem,* ARNOLDE *longè mihi chariſſime, hanc eſſe hujus libelluli, tertiùm nunc cum quibusdam acceſſionibus editi, dedicationem volo. Vale optimè.* **Scr.** *Roſtochi,* *die XV.* **Septembris,** *Anno M DCCVII.*

PRÆ-

# PRÆFATIO
## AD CANDIDUM ET BENEVOLUM LECTOREM,
*SECUNDÆ EDITIONI PRÆMISSA.*

QVæ nunc ex Typographi deſiderio conjunctim eduntur Theſes, antehac ſeparatim pro more diſputantium datæ in lucem fuerunt. Qvatuor enim, iiqve eximii, Theologiæ cultores, qvorum infra conſignabo nomina, conſcenſâ duodecies cathedrâ, eas eruditorum ventilationi expoſuerunt. Materiæ varietas ita Lectores affecit, ut non tantum exempla, qvæ primum excuſa ſunt, ſed & plura alia, qvæ non ſemel recudebantur, diſtraherentur, Cumqve & ſine Diſputationum titulis, ge-



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/11
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

nerali qvadam inſcriptione, reducere qvalecunqve opuſculum in Lectoris gratiam Typographo placeret, qvo minus id faceret, refragari nullo modo volui. Subinde enim unus alterqve eſt, ad qvem aliqvem ſui uſum diffundere poſſit. Diſtribui autem præſentes Theſes ſecundum variam Theologiæ noſtræ conſiderationem. Nec enim uniusmodi ſunt & unum eundemqve ſibi præſtitutum habent finem, qvi in Academiis ad eruditionem Theologicam adſpirant. Omnes qvidem ſinguliqve ad S. literarum qvotidianam lectionem ſenſumqve Divini verbi præcipuè ſunt adducendi. Is enim liber eſt, qvi Eccleſiarum paſtori, ſive ſuggeſtum conſcendat & ad populum peroret, ſive in fundamentis veri Chriſtianiſmi rudiores inſtituat, ſive deviantes à legis Divinæ orbitâ in viam reducat, ſive malitioſè peccantes gravi ſeveroqve elencho redarguit, ſive deniqve ſolatio erigat delictorum ſuorum conſcientiâ adflictos, unicè verſandus eſt. Nihil pulcrius, nihil animarum curatori convenientius eſt, nihil ad fructum in omni officii parte obtinendum ſalutarius, qvam cum in Bibliis ſuis ita domi eſt Eccleſiæ miniſter, ut cum Paulo nihil loqvatur extra Moſen & Prophetas. Qvæcunqve qvocunqve caſu proloqvitur verba, ſi non ſua ſint & humanam redoleant ſapientiam, ſed illius, qvi ipſum miſit & officii ipſi concredidit partes. Nec enim legatus migrare Principis ſui mandata debet, nec vel verba alia proloqvi, qvam qvalia proferenda eſſe herus voluit ſuus. Qvamqvam verò nec à verbis qvidem recedere debeat Eccleſiæ miniſter, qvæ ideò in os ipſius ſe poſiturum eſſe, optimus maximusqve dicendi magiſter promiſit, tamen nec ea pſittaci tantum more recitare convenit, ſed applicare cum vero eorundem genuinoqve ſenſu. Non in verborum pronunciatione, ſed in ſenſu Chriſti & de-

monſtratione

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/12 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

monſtratione Spiritus vera miniſterii noſtri ratio & virtus conſiſtit. Qvare non legere tantum ſacras literas, ſed meditari, non memoriæ tantum imprimere, ſed in divitias ejus ſcrutando conferendoqve penetrare oportet. Non poteſt pro vero Chriſti & verbi Divini miniſtro reputari, qvi non ſingulas Divinarum Scripturarum partes non perreptaverit tantum freqventiſſime, ſed & ita ſibi reddiderit familiares, ut qvis ſingulas ſcripſerit, qvo ſcripſerit tempore, qvæ tum Eccleſiæ, cum ſcripſit, facies, qvæ conditio fuerit, qvem ſibi potiſſimum ſcopum finemqve habuerit præſtitutum, qvæ ſint orationum connexiones, qvæ emphaſes, qvæ momenta, qvæ potiſſimum in ſingulis libris dicta, qvæ teſtimonia vel pro veritatis confirmatione, vel pro emendatione vitæ, vel pro univerſi Chriſtianismi, in omnibus, qvi obtingere poſſunt, caſibus, uſu & ædificatione faciant, non perfunctoriè ſciat. Non qvidem omnibus idem eſt ingenium, aut eadem proficiendi occaſio, maledictus tamen eſt, qvi opus Domini aut fraudulenter aut negligenter facit, nec eò graſſari contendit, qvo pervenire utiqve poteſt, ſi præhabere rerum temporalium curæ functionis ſibi Divinitus commiſſæ rationem velit. Ignava mens, animus torpidus, profanus, avarus, excuſationem adhibendæ in ſuis rebus diligentiæ à qvalibet occupatione, etiam qvam nobismetipſis πολυπράγμονες facimus, ſumit. Qvi verò ſerio neqve mercenariâ operâ officium ſuum facere ſtudent, & otium ſemper & tempus, etiam cum negotioſiſſimi ſunt, id agendi inveniunt, qvod ἔργον ipſorum eſt & qvod agendum ipſis eſſe Divina iis voluntas injunxit. Itaqve prima futuri Eccleſiæ miniſtri cura S. literarum ſedula & indefeſſa perveſtigatio omninò eſſe debet, qvæ ideò, qvia ſenſui earundem indagando incumbit atqve adeò ad omnes in officio actiones legitimè

timè fructuoſèqve obeundas, præcipuè ad ingenerandam ſolidam DEI & myſteriorum Divinorum notitiam, qvæ veræ & ſalvificæ fidei baſis eſt, fundamentum ponit, BIBLICA ἐξοχικῶς non immeritò appellatur. Qvam è veſtigio inſeqvitur altera, qvæ in formandis moribus, in inſtituendâ ad Divinæ legis regulam vitâ, in Chriſtianiſmo ornando poliendoqve conſiſtit. Hanc non injuriâ MORALEM Practicamq; vocarunt. Duos enim præfixos ſibi fines habet ſacri cœtus antiſtes, non eqvidem ſibi invicem ſubordinatos, ut Philoſophi loqvuntur, ſed coordinatos, primò ut fidem in auditoribus ſuis ſalutarem, vivâqve fiduciâ Servatorem ſuum amplectentem, efficiat, qvæ ſola ad æternam ſalutem obtinendam tendat; deinde ut eum, qvi fide donatus eſt, Chriſtianis moribus, ſeu operibus ad Divinæ voluntatis normam exactis inſtruat, qvibus fidem illam teſtetur, proq; beneficio æternæ ſalutis, per fidem in ſpe ſibi collatæ, gratum animum DEO declaret. Vagatur hæc Theologi cura per univerſum omnium Chriſtianarum virtutum complexum. In id enim omni conatu ſollicitus eſſe debet, ut ab omni vitiorum labe, ab omni flagitiorum contagio ſuos abducat Eccleſiæ miniſter, ut carnis concupiſcentiis repudium mittant, ut hujus mundi delicias, tanqvam peccatorum illecebras, cane pejus & angve fugiant, ut ſemetipſos abnegent, ſoli Deo & voluntati ejus ſerviant, qvicqvid usqvam bonum, pulcrumqve, qvicqvid laudabile eſt, ſummo ſtudio ſectentur. Qvare maturè eâ ſe ſcientiâ imbuere debet, qvæ mores Deo placentes à virtutum larvis, qvibus huic mundo conformis redditur homo, ſecernat, qvæ argumenta, ad bonorum operum ſtudium inflammantia, magno numero & pondere oſtendat, qvæ conſcientiam hominis, in qvocunqve demum ſtatu ille vivat, tutam & ſecuram reddat. Grande eqvidem hoc eſt officii Eccleſiaſtici momentum, non qvod virtutibus, tanqvam præſidiis, ad cœlum eatur, ſed qvod, ubi illæ deficiunt, fides amittitur

tur & in præſentiſſimum periculum ipſa ſalutis, qvæ fide unicè nititur, poſſeſſio conjicitur. Hac igitur morum Theologiâ planè carere neqvit futurus Eccleſiæ miniſter, cum alteram qvaſi officii ſui occupet partem, ſine qvâ mancum omninò eſt & imperfectum, qvicqvid in ſuorum promovendo Chriſtianiſmo agendum ſibi erudiendumqve ſuſcipit. Succedit Theologia POLEMICA, in cognoſcendis variis controverſiis & adverſariorum refutatione occupata. Hujus verò accuratior cognitio, qvamqvam ei, qvi ſimplicem in rure populum docturus eſt, non eo gradu, qvo priores illæ, neceſſaria ſit, iis inprimis in locis, ubi vel nulli ſectarii ſunt, vel oppidò pauci; (nec enim expedit refellere ſanæ doctrinæ hoſtes, ubi nulli ſunt cogniti; qvorum mentio & refutatio id nonnunqvam curioſos homines docet, qvod antea ignoraverant) in Academiis tamen & ii erudiendi ſunt, qvi gravioribus officiis vel in urbibus vel in Scholis illuſtribus deſtinantur, à quibus qui controverſiarum notitiam removere velit aut excludere, perinde facturus eſſet ac ille, qui arma adimere militi, contra hoſtem pugnaturo. Sed nec reliquos diſputandi artificii ignaros prorſus eſſe debere, vel inde colligas licet, quod non tantum Paulus ad omnem Eccleſiæ miniſtrum requirat, ut idoneus & potens ſit ad os obturandum veritatis adverſariis, ſed quod etiam ne minimus qvidem inter eos, qui Theologiæ incumbunt, certus ſit, quem ei locum in Eccleſiâ Divina deſtinaverit providentia. Etiam in rure Nobiles nonnunqvam aut alii viri honoratiores noſtræ Eccleſiæ ſunt inſerti, qvorum aut aliorum etiam, qvi vel concionibus vel colloqviis noſtris ſeſe inſinuant, objectionibus niſi pro virili tuâ ſatisfeceris, officium tuum proſtitues, videberisqve prodere religionis tuæ firmitatem. Semper ad plura annitendum eſt, qvam qvibus opus habemus, cum ambiguum ſit, qvibus olim opus habituri ſimus.

mus. Infra hanc Polemicæ Theologiæ neceſſitatem Theologia conſidet PATRISTICA, ſeu Hiſtorica & Antiqvaria. Qvæ iis potiſſimum excolenda eſt, qui ad eruditionis Theologicæ qvoddam qvaſi faſtigium adſcendere cupiunt. His enim nihil eorum ignorandum eſt, in qvo Eccleſiæ noſtræ hoſtes cum aliquâ nominis ſui gloriâ excellunt. Verè cum Auguſtino ὡς ἐν παρῳδίᾳ dicere neceſſe eſt: *qvum per vaſtam ampliſſimamqve totius antiqvitatis & rerum in illâ geſtarum notitiam & vera aſſerantur & falſa, qvis audeat dicere, adverſus mendacium defenſoribus ſuis inermem debere conſiſtere veritatem, ut videlicet illi, qvi res falſas demonſtrare conantur, noverint auditorem ſpecioſiſſimis ex vetuſtate argumentis circumvenire, iſti autem non noverint? Illi fallacibus rationibus veritatem oppugnent, aſſerant falſitatem, iſti nec vera defendere, nec falſa valeant refutare? Illi animos audientium in errorem moventes impellentesq́; antiqvitatis exempla recenſendo terreant & ad cœtum ſuum fortiſſima qvadam ratione adducant, iſti pro veritate lenti frigidiqve, nihil valentes in medium adferre, dormitent? Qvis ita deſipiat, ut hoc ſapiat? Qvum ergo in medio poſita ſit antiqvorum temporum eruditio, qvæ ad perſvadenda ſeu prava ſeu recta valeat plurimum, cur non bonorum ſtudio comparatur, ut militet veritati, ſi eam mali ad obtinendas perverſas vanasqve cauſas in uſus iniqvitatis & erroris uſurpant?* Non eqvidem neceſſum eſt, ut vel omnes vel pleriqve Theologiæ cultores in vaſtum ſe antiqvitatis pelagus intromittant, ad qvod enavigandum vix integra hominis vita ſufficiat, ipſa tamen Eccleſia neqve hac doctrinæ parte, neqve viris ejusdem peritis carere

poteſt, non aliter ac in civili vitâ non quidem neceſſarium eſt, ut vel cives omnes vel præcipui certè tormentorum explodendorum arti ſtudeant, ipſa tamen reſp. pro hodierni temporis conditione neqve majoribus tormentis, neqve artificibus, hæc talia & rem pulverariam omnem tractantibus, deſtitui poteſt, niſi ludibrium hoſti præbere & exitii periculo urbem exponere velit. Ad hanc itaqve hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcientiam, ſi ij nonnunqvam, qvi ad majora in Eccleſiâ noſtrâ contendunt, in Academiis manuducantur, qvis vitio vertet hoc inſtitutum? Certè, qvi Patriſticas in hoc Faſciculo Theſes olim defendit, in iisdem qvaſi præluſiſſe dici poteſt excellenti illi eruditioni, qvam ſuperioris anni menſe Decembri in Diſputatione Inaugurali, Tubingæ propoſitâ, *de Indulgentiis, earumqve S. Scripturæ, Antiqvitati & ſanioribus Pontificiis adverſante nundinatione*, abunde prodidit. Et majora poſthac ſemper ab eo expectari poterunt, qvando ſub diſciplinâ magni Parentis & in Eccleſiæ hiſtoriâ raro exemplo ſolidè verſati, librorumqve in hujus Bibliothecâ longè inſtructiſſimâ grandi apparatu ad perfectum usqve culmen proficere atqve eniti poteſt. Ut itaqve varii generis Theologiæ ſtudioſis viam ad diverſos ab ipſis intentos fines præirem, miſcellaneas has Theſes, ut puto, non ſine cauſâ ad publicam ventilationem propoſui. Qvæ dum & conciſâ brevitate delectant & tamen aliqvam ſimul ex fuſiore declar tione lucem accipiunt, in qvaliscunque Tractatus formam coaleſcere potuerunt. Qvicqvid verò in typo vitii huic editioni adfluxit, id Typographo potius, qvam mihi imputandum eſt, cui id otii conceſſum non fuit, ut qvicqvam relegere potuerim, nedum revidere aut emendare. Vale, Lector, & conatibus noſtris fave. Scr. Roſtochii, d. XXII. Auguſti, MDCC.

JO. FECHT, D.

*Nomina DNN. RESPONDENTIUM,*
*qvi has Theſes defenderunt.*

MATTH. HENR. BURCHARDUS, Holſ. optimi doctiſſimiqve Parentis, veritatisqve purioris adverſus Burignoniana Fanaticiſmi deliria vindicis, Filius, ad magna, ſi ſupervixiſſet, natus. Reſpondit in Theſ. Biblicis, menſe Novembri, MDCXCV. Præmaturâ morte âbreptus anno ſeqvente Lubecæ.

JO. WILHELMUS STRICKER, Guſtrov. nunc Phil. Mag. & Rector Scholæ Neo-Brandenburgenſis, de eadem præclariſſimè meritus. Reſpondit in Theſibus Polemicis, menſe Octobri, MDC XCV.

CAROLUS ARNDIUS, Guſtrov. magni celeberrimiqve in orbe literato Parentis F. hodieqve in Academiâ noſtra Philoſophiæ Prof. Publ. variis exacti ingenii monumentis de ſolidioribus ſtudiis optimè meritus. Reſpondit in Theſibus Moralibus, menſe Decembri, M DC XCV.

ALBERTUS VEIEL, Ulmenſis. Poſtea S. S. Theol. D. ejusdemqve Extraordinarius, nec non Phyſices atqve Matheſeos Ordinarius in Gymnaſio Ulmano Profeſſor. Qvi in ipſo laudatiſſimorum laborum flore & benè de qvacunqve eruditionis parte merendi ſtudio, Bavaris Galliſqve urbem occupantibus, ſummo cum utriusqve parentis, tum adhuc ſuperſtitis, dolore, è vivis ſublatus eſt, die XXXI. Julii MDCCIV. Reſpondit in Theſibus Patriſticis, menſe Septembri, MDCXCV.

*Sphalmata extantiora.*

*p.* 28. *lin.* 11. *l.* orthodoxis. *p.* 33. *lin. à fin.* 3. *poſt verba: S. Petrus, adde l.* Ep. *p.* 49. *lin.* 8. l. conſeqvitur, *p.* 77. *lin.* 3. l. præceptum. *p.* 78. *lin.* 17. l. excitatio. *ib. lin.* 18. l. freqventanda. *p.* 87. *lin.* 7. l. ſententia. *p.* 123. *lin. à f.* 10. l. Hermanni. *p.* 157. *lin.* 5. l. infinita & dele ſic.

THE-

# THESES
EX
# THEOLOGIA BIBLICA.

I.

THeologiam eſſe habitum, & qvidem Practicum, evidenter ex Hebr. V. 14. eluceſcit. Qvamqvã enim ibi de perfectiori omnium Chriſtianorum ἐν τῷ λόγῳ τῆς δικαιοσύνης, ſeu *doctrinâ Chriſtianâ, de juſtitiâ in Chriſto Jeſu impetrandâ*, notitia agatur, ſi tamen ea ἕξις eſt, ſeu *habitus* τῶν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἐχόντων, *exercitatos* per freqventem verbi lectionem & meditationem, auxiliante Spiritu S. mentis *ſenſus habentium*, longè magis eo titulo ipſa Theologia gaudebit, qvippe qvæ juſtitiam & ſalutem non pro ſe tantum impetrare, ſed implantare etiam aliis intendit. Qvi verò habitus diſcernit inter bonum & malum, ſuppoſitâ accuratâ rerum notitiâ, (quippe qvæ ſola per τὸ καλόν τε καὶ κακὸν, *bonum & malum*, ipſâ vocum naturâ jubente, haud intelligitur) eum Practicum eſſe nemo dubitare poteſt.

II. Cùm Apoſtolus ad Tit. I. 1. Theologiam, in omni latitudine ſuâ conſideratam, per ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ᾽ εὐσέβειαν, per *notitiam veritatis, qvæ eſt ſecundum pietatem*, deſcribit, per reſtrictionem illam, particula: κατὰ, *ſecundum* inſinuatam, notitiam veritatis, univerſim ſpectatam, ad notitiam talem, qvæ eſt Chriſtianæ pietatis, ſeu ſcientiæ Practicæ, non pietatem eſſentialiter in ſe includentis, ſed, ut in cæteris diſciplinis practicis omnibus fieri ſolet, ad pietatem ducentis, coarctat, ſeqve vult doctorem eſſe non veritatis naturalis, ſed revelatæ. Ex qvo perqvam abſurdè colligitur, ne concipi qvidem poſſe veritatem Theologicam ſine pietate, & ſi qvis pietate fuerit deſtitutus, illicò convinci, ſe veritatem Divinam non cognoviſſe. Nam & naturalis de Deo veritatis finis eſt praxis juſtitiæ, à qvâ tamen ſalvâ veritate gentiles exulabant. Hoc qvippe eſt τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατέχειν, *veritatem in injuſtitiâ detinere*, Rom. I, 18.

III. Non ineleganter *H. Grotius* verba Pauli: *Videte, ne qvis vos deprædetur per Philoſophiam & inanem deceptionem, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi*, Col. II. 8. per figuram, qvæ ἓν διὰ δυοῖν dicitur, exaudienda eſſe docet, q. d. διὰ τῆς κενῆς ἀπάτης, τῆς διὰ φιλοσοφίας, *per inanem deceptionem, qvæ fit per Philoſophiam.* Planè doctiſſima ſententia eſt *D. Affelmanni* noſtratis, per Philoſophiam & vanam deceptionem Phariſæorum Eſſæorumq; doctrinam intelligentis, qvæ verè traditione hominum & elementis mundi infirmis nitebatur: qvam haud ita pridem calculo ſuo comprobavit. *B. D. Kortholtus.* Qvam verò accuratè cum totius capitis œconomiâ *D. Æg. Hunnii & D. Seb. Schmidii* opinio convenit, qvi Philoſophiam univerſim de omni eo, qvod illo tempore hoc nomine veniebat, in qvantum nempe illud pro more Philoſophorum ejus temporis Chriſtianæ religioni opponebatur; & κενὴν ἀπάτην, *inanem* deceptionem, de cæteris errorum fontibus, qvi ex traditionibus Judæorum manabant, interpretantur? Ita enim & verbis Apoſtoli & contextui pleniſſime ſatisfit. An Apoſtolus etiam Gnoſticorum traditiones reſpexerit, qvæ eſt *Hammondi* ſolennis ſententia, meritò dubitat *Clericus.*

IV. Trecentarum vulpium captura, Judic. XV. 4. memorata, nonniſi Divinorum oraculorum malitioſis empæctis argumentum præbet, Divinitatem S. literarum in dubium vocandi, cum & Palæſtinam abundaſſe eo animalium genere & eorundem venationem qvaſi qvotidianam fuiſſe, clariſſime ex Cant. II. 15. aliisqve locis pateat. Nec Deo juvante miraculoſas patrari actiones & omne genus animantium e. g. à Noâ in arcam adduci, qvod ſolâ ſuâ prudentiâ nunqvam effeciſſet, aut efficere potuiſſet, incredibile nobis aut inſolens videri debet, cum magis incredibilia referentibus profanis auctoribus fidem non denegemus. Exempli causâ unum *Vopiſci* in vita Probi locum producemus. Ita ille: *Venationem in circo ampliſſimam dedit, ita ut populus cuncta diriperet. Genus autem ſpectaculi fuit*

*fuit tale. Arbores validæ per milites radicitus vulſæ, connexis longè lateqve trabibus, affixæ ſunt, terrâ deinde ſuperjectâ, totusq́; circus ad ſylvæ conſitus ſpeciem, gratiâ novi viroris effronduit. Immiſſi deinde per omnes aditus ſtruthiones mille, mille cervi, mille apri, mille damæ, ibices, oves feræ & cetera herbatica animalia, qvanta vel ali potuerunt, vel inveniri. Immiſſi deinde populares, rapuit qvisqve, qvod voluit. Addidit aliâ die in Amphitheatro unâ miſſione centum jubatos leones, qvi rugitibus ſuis tonitrua excitabant, qvi omnes è poſticis interempti ſunt, non magnum præbentes ſpectaculum, cum occiderentur. Editi ſunt deinde centum leopardi Lybici, centum Syriaci, leænæ & urſi ſimul trecenti; qvarum omnium ferarum magnum, magis conſtat ſpectaculum fuiſſe qvam gratum.* Qvi recentiſſimè τὸ : שׁועל, per *manipulum* & τὸ : לכד, per *arripere* & τὸ זנב, per *extremitatem* in Obſervationibus Halenſibus interpretatur, ut ſenſus ſit: Er nahm 300. Strohwiſch und kehret ein End gegen das andere / und leget einen Brand zwiſchen beyden Enden / und warff ſie unter das Korn der Philiſter; ille qvidem devitat objectas ab atheis abſurditates de tot vulpibus captis & ardentibus facibus inſtructis; ſed è contrario ſingula vocabula in ſenſum, qvem vel nunqvam, vel rariſſimè habent, detorqvet. Cumqve ipſe huic interpretationi adeò non confidat auctor, ut tandem ad extremum illud effugium, qvamqvam & à Luthero aliqvando, re nondum ſatis conſideratâ, aſſumptum dilabatur, qvod vocales literis non ſint coævæ, adeoqve conſonantes pro lubitu legi poſſint, qvæ ut periculoſa, ita idoneis argumentis jamdiu refutata eſt, cur non literæ potius proprietatem ſectemur & DEI omnipotenti ſapientiæ, in hominum ſanctorum admirandis actionibus conſpicuæ, relinqvamus, qvæ naturæ viribus & humanâ prudentiâ ſuperiora nobis videntur?

V. Non eſt illuſtrior in univerſâ Scripturâ locus, qvi Theologiæ cultori & Eccleſiæ miniſtro SS. literarum lectionem efficacius commendet, qvam ille Pauli ad Timotheum, II. Ep. III. 14. *Tu verò permane in iis, qvæ didiciſti & in qvibus confirma-*

*tus es, ſciens qvippe, à qvo didiceris. Et qvoniam à pueritiâ ſacras literas noviſti, illæ te ſapientem reddere poſſunt ad ſalutem, per fidem in Chriſto Jeſu.* Nec enim tantum oſtendit, quantæ divitiæ in ſanctiſſimo Bibliorum codice ad efficiendos obtinendosqve omnes eos, qvos Eccleſiaſticum officium reqvirit, uſus, ſint comprehenſæ; cum *Scriptura S. Divinitus inſpirata*, atqve adeò Deum ipſum immediatum auctorem habens, non aliter ac epiſtola, à magiſtro amanuenſi in calamum dictata, *utilis ſit ad doctrinam*, in fide Chriſtianâ plantandam & ſtabiliendam, *ad refutationem* errorum qvorumlibet, cum hac fide pugnantium, *ad correctionem* vitiorum, morumqve depravatorum, fidem & conſcientiam vaſtantium, & *ad manuductionem in juſtitiâ*, qvâ deducere Eccleſiæ miniſter gregem ſuum ad omne virtutum genus qveat; *ut* adeò *homo DEI*, qvo incomparabili jucundiſſimôqve titulo Eccleſiæ miniſter à Spiritu S. mactatur, *perfectus ſit*, in omnibus muneris ſui partibus, *ad omne opus bonum*, ſive prædicando id fiat, ſive adhortando, ſive conſolando, ſive vitæ exemplo prælucendo, *ſufficienter inſtructus*; ſed modum etiam inſinuat, qvo pacto Theologiæ cultor ad ſanctiſſimi hujus libri accuratam notitiam pervenire qveat, nempe partim ſenſum ejus verum & ſalutarem à S. literarum doctoribus diligenter, ſolidè & conſtanter ediſcendo, partim lectioni ejus & ſedulæ meditationi à pueritiâ adſveſcendo. O utinam miniſterii noſtri Candidati intimo animo Apoſtolicam hanc lectionem reconderent! *Permane*, inqvit Paulus, *in iis, qvæ didiciſti.* Conſtantiâ itaqve opus eſt in propoſito ſemel cœpto, neqve ſemel tantum iterumqve perfunctoriè deſultorieqve Biblia ſunt legenda, ſed inhærendum eſt lectioni diu noctuqve, nec unqvam ab ea remittendum; qvo enim freqventius legeris, eo plus lucis & ſalubrium ſenſuum inveneris. *Permane* autem *in iis, qvæ didiciſti & in qvibus confirmatus es.* Nam vocem: ἐπιςώθης, non ſignificare id, qvod commiſſum alicui eſt, ſed in qvo certitudinem ſummam & ſtabilimentum aliqvis obtinuit, ab omnibus ferè interpretibus obſervatum

vatum eſt. Ita ergo ſunt legendæ S. literæ, ut de eorum vero ſenſu Divinâ certitudine convincaris, ut non legas tantum easdem, ſed & intelligas; ὁ ἀναγινώσκων νοείτω, *qvi legit, animum advertat*, inqve ſenſum Spiritus Sancti intime penetret. Matth. XXIV. 15. Non, ut in omnibus & ubiqve fluctuum inſtar in mari, à ventis agitato, dubites, nec ad intellectus ἀσφάλειαν unqvam pervenias, ſed ut ceu *domus petræ inædificata firmus ſis* & immotus. Matth. VII. 24. 25. *Confirmatus verò in his es*, ait Paulus, *qvia ſcis à qvo didiceris*. A me nempe, Apoſtolo Chriſti, non tantum autoritate Apoſtolica veros tibi Scripturarum ſenſus revelando, ſed eosdem etiam ex infallibilibus textuum indiciis, ut ubiqve diſputare & docere ſoleo, demonſtrando. Non ergo ſuo genio S. literarum lector, ceu αὐτοδίδακτος, unicè fidere, ſed doctores fideles & ob Scripturarum ſcrutinium celebres audire debet. Verum enim perpetuò & ordinariè illud eſt: *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam & legem reqvirent ex ore ejus, qvia angelus Dominì exercituum eſt*. Mal. II 7. Lectionem autem Scripturæ privatam futuro Eccleſiæ miniſtro ita commendat Paulus: *Qvoniam à pueritiâ S. literas noſti*, à matre aviâqve tuâ ad earum lectionem qvotidianam adductus, (ô qvam benè fieret, ſi ad hoc exemplum, qvicunqꝫ à parentibus ſuis ſacris officiis deſtinati ſunt, ad freqventiorem diligentioremqꝫ, qvam cæteri liberi omnes, S. literarum lectionem à teneris, ut ajunt, unguiculis, ab illis adſuefierent!) *illæ te ſapientem reddere poſſunt ad ſalutem*. Qvid hoc rei eſt, ô Theologiæ cultor? Exiſtimaveram, Biblia Theologo ideò tantum legenda eſſe, ut ſcientiam ſibi acquirat, alios informandi, non ut ipſe ſimul ſuammet ex iis ſalutem procuret. Ita certè plurimi veſtrum perſvaſi ſunt. Sed ſcrupulum hunc, & in DEUM impium, & ſacro veſtro ordine indignum, eximit vobis Paulus, qvi ideò legi ſacras literas à Timotheo, futuro miniſterii Candidato, fructuoſum eſſe judicat, ut primò & ante cætera omnia ſapientiam inde ſibi comparare poſſit, ſuæmet animæ ſalutem

promovendi, deinde verò & poſt hoc etiam aliorum. Nec tamen ſapientia iſthæc, magno ſæpe labore acqviſita, efficere ſalutem poteſt, niſi *per fidem in Chriſto Jeſu.* Hanc fidem ipſa Scripturæ lectio, dummodo ordini te Divino ſubmittas, producit, producta ſalutem operatur. Utrumq; facit latens in Scripturis, nec unqvam otioſus, Dei Spiritus. Is eſt, non natura qvi, non præcedente fide, per Scripturam fidem efficit, ſaltem efficere intendit, qvæ intentio etiam extra fidem eatenus ſalutaris eſt, in qvantum ſalutem operari apta nata eſt; & qvi effectâ fide per fidem, effectu ipſo ſalutarem, ſalutem operatur. Rectè itaque & ſapienter decernit Edictum Würtebergicum, *A. M. DC. XCIV. §. III.* In Sachen / den Glauben und das Leben der Chriſten belangend / ſolle man einig und allein der H. Schrifft / als der vollkommenen Glaubens und Lebens-Regel / in Gehorſam des Glaubens anhangen und nachfolgen. Zu ſolchem Ende ſollen unſere zur Theologie gewidmete Alumni ( keinen außgenommen ) mit allem Ernſt dahin angewieſen werden / daß ſie nächſt Erlernung der Hebreiſchen und Griechiſchen Sprache / ( andere nöhtige und nützliche Wiſſenſchaften ohnausgeſchloſſen ) ihre fürnehmſte Arbeit ſeyn laſſen / die H. Göttliche Schrifft / Altes und Neues Teſtaments / mit Fleiß und Andacht / täglich in fontibus zu leſen / zu erwegen / und dadurch vermittelſt Göttlichen Beyſtandes / ſich je länger je tüchtiger zu machen / nicht nur die Evangeliſche Lehr-Sätze / ſo im Syſtemate Theologiæ ſtehen / zu erweiſen / und die Einwürffe der Wiederſacher gründlich umzuſtoſſen / ſondern auch im wahren / lebendigen / thätigen Glauben zu wachſen / reich zu werden in allerley Erkäntnüß und Erfahrung / daß ſie prüffen mögen / was daß beſte ſeye. Nec minus piè atqve cordatè §. V. Es ſolle denen Studioſis Theologiæ wohl und eyffrig vorgemahlet werden / daß / wann ſie das Syſtema Theologiæ Acroamaticæ wohl ins Gedächtnüß gefaſſet / auff alle darinnen enthaltene Fragen fertig antworten / die Evangeliſche Lehrſätze mit behörigen

rigen Zeugnüſſen H. Schrifft bekräfftigen / die Einwürffe der Wiederſacher gründlich wiederlegen / auch wolausgeſonnene und der Aehnlichkeit des Glaubens gemäſſe Predigten ablegen können / dabey aber mit ihrem Hertzen der Welt anhangen / dem Stoltz / dem Kleider-Pracht / der Ubermaß im Eſſen und Trincken / der fleiſchlichen Wolluſt / etc. ſich ergeben / ſie noch nicht zur wahren rechtſchaffenen Erkäntnüß GOttes erleuchtet ſeyn / ſondern im Finſternüß wandeln / Krafft der Wort St. Johannis, 1. Ep. I. 6. & C. II. 3. & 4. Qvod equidem de veritate practicâ & in effectu ſalutari aperte intelligitur; nam etiam eam doctrinarum ſacrarum notitiam veram eſſe, qvæ injuſtitiam conjunctam habet, diſertè affirmat Paulus Rom. I. 18. & ſalutaris qvoad virtutem & potentiam, ob inſeparabilem à Divino verbo efficaciam, ſit omnis ea doctrina, qvæ ad convertendum hominem tendit, etſi maximè eundem actu non convertat. Qvod medicamenti exemplo Theologi pridem illuſtrarunt.

VI. Qvibus Scholaſticorum termini, *Perſona*, *Principium*, aliiq́ hodie non ſine notabilis heterodoxiæ ſuſpicione tam exoſi ſunt, ii dicant, qvid Paulus Hebr. I. 3. per ὑπόστασιν τοῦ πατρὸς, docente *D. Seb. Schmidio* ad h. l. aliud qvam *Perſonam Patris* intelligat, cum Filius non ſit imago vel eſſentiæ Divinæ, abſolutè conſideratæ, vel hypoſtaſeos, abſtractè acceptæ, ſed perſonæ, in eſſentiâ & ſubſiſtentiâ conſiſtentis, qvippe qvâ in re Patrem repræſentat? Præterea cur Scholaſticum terminum appellant, atqve ideo qvartum, in qvo hæ tales voces ob veritatis hoſtes freqventari cœperunt, ſeculum adulteratæ per Philoſophiam religionis incuſant, cum tamen qvilibet infimæ ſortis homo & ad aratrum ſtivamq́ condemnatus, cum tres produci teſtes videt, qvod de tribus in Divinitate perſonis enunciatur, 1. Joh. V. 7. tres perſonas produci ſine ullo Philoſophiæ adminiculo intelligat? Qvid porrò Chriſtus ipſe Joh. IIX. 25. dicendo: τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν; per τὴν ἀρχὴν aliud qvam Patrem, qvi eſt origo & *principium* Filii intel-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/25 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

intellexerit? Hanc interpretationem ipſo Evangeliſtâ apertè inſinuante: *neſciverunt, qvod Patrem ipſis dixiſſet.* Qvem ſenſum præter *D. Seb. Schmidium*, nemo adhuc eorum, qvi etiam recentiſſimè in eum locum & uberrimè commentati ſunt, qvod ſciam, animadvertit, nec qvisqvam hactenus ullis argumentis refellit. Ipſe *Hammondus* & *Clericus*, qvamqvam omnem majorum in interpretando ſapientiam ſe viciſſe videri voluerint, antiqvum tamen illud retinent: τὴν ἀρχὴν *initio* vel *primo.* Qvod tamen ſenſum adeò reddit ineptum, ut is legenti non poſſit non in ipsâ primâ ſtatim lectione eſſe moleſtus.

VII. Creationem Apoſtolus, Hebr. XI. 3. deſcribit per τὸ: γεγονέναι μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα, *fieri ex non apparentibus ea, qvæ videntur.* Trajectio eſt in verbis ſecundum plerosqve interpretes: μὴ ἐκ φαινομένων, *non ex apparentibus*, pro: ἐκ μὴ φαινομένων, *ex non apparentibus.* Sunt autem non apparentia non vera entia, qvemadmodum hunc locum interpretantur, qvi materiam creati mundi æternam eſſe diſputant, id qvod cum DEI æternitate, ipſi ſoli competente, conſiſtere non poteſt: ſed non-entia, qvippe *qvæ nuſpiam apparent*, dicente *D. Gerhardo.* Ex his facti ſeu perfecti dicuntur οἱ αἰῶνες, *ſecula*, id eſt, totus mundus, ut nihil qvicqvam excludatur, qvicqvid creatum eſt, judice *Chryſoſtomo* & *Theodoreto.* Materia, ex qvâ omnia creata ſunt, ſunt τὰ μὴ φαινόμενα, *non entia.* Qvæ qvia intellectui noſtro qvaſi qvidpiam, ex qvo τὰ βλεπόμενα, *qvæ videntur*, id eſt, entia emergant, & qvod tamen revera nihil eſt, objiciuntur, à ſummo Theologo, *D. Hülſemanno*, iniqve ideò à nonnullis arroſo, materia negativa creationis vocantur. Ea autem non-entia, ex qvibus omnia creata ſunt, duplicem rationem ſuſtinent. Nonnulla non entia ſunt ſimpliciter, utpote cum mundus, nihil planè ante illum exiſtente, ex non ente creatus eſt, alia ſunt non entia, licet in ſubjecto, utpote cum Eva ex coſtâ Adami creata eſt. Illa enim coſta ex ſe tam inepta fuerat, ut fœmina ex illâ conderetur, ac fuit non ens, ut ex eo fieret ens. Æqva enim utrobiqve inter duo illa extrema diſtantia



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/26 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

tia fuerat, nempe infinita. Unde & hoc non ens perinde nihil, ut illud prius non ens, licet cum appoſito, vocatur: nihil ſubjecti. Ex qvo ſimul patet, fruſtra reprehendi vulgarem creationis definitionem, qvod ſit productio rei ex nihilo: dummodo τὸ nihilum utramqve non entis ſeu nihili ſpeciem in ſe includat.

VIII. Votum iſtud Patriarchæ Jacobi, Gen. XXIIX. 20. 21. *Si Deus fuerit mecum & cuſtodierit me in viâ iſta, qvam ego ambulo & dederit mihi panem ad comedendum & veſtem ad induendum & reverſus fuero in pace ad domum patris mei, tum erit Dominus mihi in Deum*; non probat ſub conditione mercedis, Deum licite coli poſſe, ut nempe, ſi merces illa non ſeqvatur, nec colatur Deus; ceu dictum iſtud ante pauculos annos, ad excuſandum *Jo. Jacobi Petiſci*, Paſtoris qvondam Weinheimenſis, factum, allegavit Jeſuita Heidelbergenſis, in evulgatâ hunc in finem oratione. Pactus autem cum Patribus Societatis fuerat *Petiſcus*, ſi Pontificiam religionem amplecteretur, ut præmii loco obtineret Bibliothecarii Heidelbergenſis functionem. Qvod & factum eſt. Debebat verò Jeſuita audire ſocii ſui, ſe longe celebrioris, *Bened. Pererii*, reſponſum, qvi in Commentario hujus loci qværit; ſi Jacob habiturus eſt Dominum pro Deo, ſi dederit ſibi victum & amictum; ergone ſi hæc non daret Deus, non erat eum habiturus pro Deo? reſpondetqve: *Talis mens, conſilium, ſenſus, propoſitum animi & deliberatio, erant planè impia. Deus namq; omnino colendus eſt, ſive det ſive non det bona temporalia.* Et poſtea: *ejusmodi votum non impium modo fuiſſet, ſed plane ſtolidum, vecordiaqve & amentiæ plenum.* Cumqve id illuſtri ſociorum Danielis dicto: *Ecce Deus noſter, qvem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis & de manibus tuis, ô rex, liberare. Qvod ſi noluerit, notum ſit tibi, rex, qvia Deos tuos non colimus & ſtatuam, qvam erexiſti, non adoramus*, Dan. III. 18. comprobaſſet, oſtendit, facile ceſſaturum dubium, ſi obſerve-

B tur

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/27 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

tur, non vovere Jacobum generalem cultum Dei, qvem ei exhibere naturali lege adſtrictus erat, ſed certum qvendam & ſingularem cultum, in conſecrando loco, dandisq́; decimis conſiſtentem. Qvo pacto & pleriqve noſtrum interpretantur. Juvatur hæc interpretatio, ſi diſtinctio juxta R. S. Jarchi ad h. l. qvam poſt *Junium* atq́; *Tremellium* nuperrime ſecutus eſt *D. Jo. Saubertus*, in textu paulo alia fiat, ut nempe πρότασις, per accentum Atnach & ipſam copulativam (ו) in voce: והיה, *& erit*, continuanda, eo usqve extendatur: *ſi fuerit Deus mecum, ſi cuſtodierit, ſi reverſus fuero, ſiq́; adeò Deus mihi fuerit Deus*; & nunc ſeqvatur ἀπόδοσις: *tum lapis hic erit domus Domini*. Qvam accentus qvidem obſervationem ab amantiſſimo Collega ſuggeſtam cupidiſſimè amplector. Rectè etiam Clericus: *etiam ea, qvæ debemus, additâ cum conditione vovemus, qvæ tametſi non implerentur, faceremus*. Nec tamen contemnenda etiam eſt *Eraſmi Marbachii* obſervatio, qvi vocem: אם non conditionatè, ſed aſſeverativè accipi poſſe docet, ut in loco illo, Pſalm. XCV. 11. *juravi, ſi introibunt in reqviem meam*, q. d. juravi, qvod certò non introituri ſint in reqviem meam. Ita & hoc loco: eo qvod juxta promiſſionem, verſu qvinto decimo mihi factam & à me firmâ fide apprehenſam, Dominus certo erit mecum & me cuſtodiet in viâ & dabit victum & amictum, deniq́; domum reducet, ideò & ob hæc beneficia eundem colam in perpetuum. Videbatur citra dubium *Marbachio* phraſis: והיה יהוה לי לאלהים, *Et erit mihi Deus in Deum*, generalior eſſe, qvam qvæ ad publicum ejus loci cultum ſecundum ſententiam communiorem reſtringi poſſet; qvamqvam cum generali, publico privatoqve cultu ſimul duas publici cultus ſpecies, ædem & decimas, DEO promittat Jacobus.

IX. Mali dæmones in epiſtolâ Judæ, verſ. 6. dicuntur *reſervati in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caliginem. Reſervati*, qvia nec conſummatam omnibus modis pœnam adhuc

hucdum accipiunt, Matth. IIX. 29. qvippe *qvibus*, non tam inflictum qvam *paratum eſt ſupplicium æternum*, Matth. XXV. 41. nec manifeſtata eſt illa per decretoriam judicis ſententiam. *Sub caliginem*, tartari nempe, qvi alibi *abyſſus* vocatur, id eſt, ima & profundiſſima inferorum ſedes, Ap. IX. 1. *Vinculis æternis*, qvia ibi omni libertate ſua privati ordinariè verſantur. Nam extra ordinem Deo vel jubente vel permittente aërem occupare probabile eſt. Unde Diabolus ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος dicitur, Eph. II. 2. voce ἐξουσίας abſtractâ pro concretâ & ſingulari pro plurali acceptâ, ut fit Rom. XIII. 1. ἐξουσία autem *dæmonem* notat, Eph. VI. 12. ἄρχων itaq; τῆς ἐξουσίας eſt *princeps dæmonum*.

X. Perqvam probabilis ſententia eſt, locum Gen. III. 22. הן האדם היה כאחד ממנו לדעת טוב ורע non ironicè ſeu per *amarulentiſſimum ſarcasmum*, ut ad h. l. loqvitur *Ludov. Capellus*; (qvi Dei bonitati, qvi jam gratiam promiſerat in protevangelio homini lapſo, nullo modo convenire videtur, tantum abeſt, *ut id negari non poſſit*; qvod nimis confidenter aſſerit *Lightfootus*, in Poſthumis p. 118.) ſed proprie interpretandum eſſe, hoc ſenſu: *Ecce Adam fuit ſicut unus ex nobis ad ſciendum bonum & malum.* Ita enim retinetur propria verbi: היה ſignificatio, cum alias impropriius ſenſus clarius per vocem: נעשה fuiſſet expreſſus, neq; in textu qvicqvam repugnat. Sunt enim planè ἰσοδυναμοῦντα: eſſe ſicut unum ex nobis, qvoad ſcientiam boni & mali, &: facere hominem ad ſimilitudinem & imaginem noſtram, qvippe qvæ conſiſtit *in juſtitiâ & ſanctitate, qvæ eſt ſecundum Deum.* Eph. IV. 24. Nec τὸ: *ſicut unus ex nobis*, omnimodam exæqvationem notat, cum nec alias infreqvens ſit, infra illam in eadem materiâ particulam illam ſubſidere, 1. Joh. III. 3. & 7. Connexio verò hæc foret: Ecce Adam Divinâ noſtrâ imagine excellentiſſimè enituit, & tamen de fructu arboris ſcientiæ boni & mali comedendo lapſus eſt; ne itaq; nunc in malum totus pronus, peccatum peccato cumulet, manum-

qve ulterius extendat, & ne vel contra decretum meum ſuâ qvidem opinione non moriatur, vel vitæ ſibi infelicitatem, cui ex lapſu objectus eſt, qvamq; poſt brevem moram, (Gen. XLVII. 9.) cum æternâ meliori, ſi piè viveret, permutare poterat, æternam reddat, de arbore qvoq; vitæ comedat, emittamus eum ex paradiſo. Qvi nexus (à D. *Mich. Walthero* approbatus) non majoribus difficultatibus obnoxius eſt, qvam qvem faciunt reliqvarum ſententiarum defenſores. Simplicem hanc opinionem, quam ex dictatis de Imagine Divinâ ſummi Scripturarum exegetæ, D. *Seb. Schmidii*, pro ſolenni diſputatione Argentorati, *A. MDC LIIX.* defendi, abſit, ut cuiqvam obtrudam. Liberum cuilibet eſto, circa difficilem locum ſentire, qvicqvid textui convenientius eſſe animadverterit.

XI. Si locus Salomonis, Eccl. XII. 7. *Convertetur pulvis in terram ſuam, unde ſumptus eſt, & ſpiritus revertetur ad Deum, qui dedit illum;* immediatam animarum creationem, ut volunt præcipui hujus patroni, probat, tum illi edicant, utrum & impiorum animæ redeant ad Deum, qvæ & ipſæ ſecundum illos ex nihilo ſunt creatæ & qvorum pulvis æq; in terram ac piorum convertitur? Qvod utrum dicturi ſint, vehementer dubito. Qvamqvam enim nonnulli aſſerere auſi fuerint, redire impiorum animas ita ad Deum, ut angelorum eas curæ committat, vel in cœleſtia eas gaudia, ſi pie deceſſiſſent, vel in tormenta infernalia, ſi impiè, ut eſt apud *Polum*, introducturis, opinio tamen iſthæc à pleriſq; deſeritur, quia ne probabilitate ſe quidem ullâ commendat. *Auguſtinus* certè, qvi primum in hoc loco magnum creationis præſidium collocaverat, tandem tamen Epiſtola CLVII. non dubitat fateri: *non ſolvi per illum obſcuriſſimam illam qvæſtionem.* Qvin potius intueamur locum longè clariorem, eumqve de animæ naturâ agentem, Gen. II. 7. *inſpiravit Deus in faciem ejus ſpiraculum vitæ & factus eſt homo in animam viventem;* & conferamus ad ejus dilucidationem



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/30 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

tionem verba *D. Dav. Chytrai*, Academiæ noſtræ Doctoris feliciſſimi, qui libri de morte & vitâ æterna Part. II. p. 153. & 154. *In primi hominis creatione*, inquit, *corpori jam formato ſpiraculum vitæ ſeu ſubſtantia animæ, qva viveret homo, (â Deo, non de Deo facta) inſpiratur, quâ inſpiratione hæc vis primis parentibus inſita fuit, ut deinceps cæteros homines ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ſibi animâ & corpore ſimiles, propagarent.* Quæ obſervationes repetitæ ſunt ex epiſtolâ *Jo. Conr. Durrii* ad *Simonem Bornmeiſterum.*

XII. Immanis injuſtitiæ Deum arguunt ii Calviniani, qvi docent: Deum innocentem creaturam ad æternos cruciatus ex abſoluto dominio poſſe condemnare. Quod φορτικὸν ἄκυσμα adeò in ſociis ſuis puduit ipſos Reformatæ Eccleſiæ doctores cæteros, ut ingenuè jamdiu illud ê ſcholis ſuis rejecerint. Poſſe tamen Deum, ſuppoſito ſaltem in omnibus hominibus peccato originali, hominem, qvoad cauſam vel peccatum actuale innocuum temporalibus pœnis ſubjicere, evidenter dicitur in illuſtri loco, Ex. XX. 5. *Ego Deus Zelotes, viſitans iniqvitatem patrum in filiis in tertiam qvartamq; generationem eorum, qui me oderunt.* Adjecta ratio: *eorum, qui oderunt me*, parentes neceſſariò afficit, non liberos. Qvod & ex accentuum ratione probat noſter *Varenius.* Id enim niſi foret, qvid ſingulare hic dixiſſet Deus? Qvid ad horrorem peccati dehortationemqve faciens? An ideò zelotes eſt Deus, qvia peccata punit, quousqve peccata invenit? Id ſi zeloten conſtituit, non dicendum fuiſſet: viſito iniquitatem patrum in filiis in tertiam quartamque, ſed potius in milleſimam, imo infinitam generationem. Quousq; enim furoris Divini ſe extendit materia, eousque & furor ipſe. Is verò rex zelotes meritò dicitur, qvi ob crimen læſæ majeſtatis non delinquentem tantum commeritis pœnis ſubjicit, ſed familiam ejus poſteroſq; omnibus honoribus excludit. Jam Deus ipſe filios Achan innocentes ob patris ſacrilegium extremo ſupplicio afficit, immo totum populum Iſra-

ëliticum graviſſimis pœnis illigavit, Joſ. VII. 12. 24. Poſteritatem verò Saulis innocentem ob patris tyrannidem ſuſpendio punivit, II. Sam. XXI. 1. 6. Nec minus ſemini Gehaſi innocenti ob parentis delictum lepra adhæſit, II. Reg. V. 27. Fundamentum verò juſtitiæ hujus punitionis (quæ tamen nonniſi cum exceptione intervenientis extra illum ordinem gratiæ Divinæ intelligenda eſt) id eſt, quia *nemo hominum coram Deo eſt innocens*, Exod. XXXIV. 7. Accurato judicio hoc argumentum in Collegii Syſtematici articulo de peccato excuſſit vaſtæ eruditionis Theologus, *D. Jo. Ad. Oſiander*.

XIII. Non eſt illuſtrior locus, qui intellectus humani tenebras in comprehendendis probandisq; aſſenſu ſuo myſteriis, exactius repræſentet, quam ille Pauli: *Homo animalis non intelligit ea, qvæ ſunt Spiritus Dei. Stultitia enim illi eſt & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter dijudicantur*, I. Cor. II. 14. Duplicem homini animali, quâ animalis & peccato originali corruptus, neque ex ſuperiori principio vel informatus eſt, vel regeneratus, induit formam: privativam; *non intelligit ſpiritualia*, & poſitivam; *ſtultitia illi ſunt ſpiritualia*. Nec verò ex hac poſteriori colligere licet, quod maximum qvendam Virum facere video, ab Apoſtolo per verbum: δέχεσθαι, *capere*, intelligere, non notitiam ſimplicis apprehenſionis, ſed actum judicii, qui ad ſecundam mentis operationem pertineat, inſinuari. Cujus rei hanc reddit rationem, qvia pro ſtultitiâ aliqvid habere ſit actus judicii. At verò ſi eodem auctore ad apprehenſionem ſimplicem etiam reducitur, quando intellectus integras propoſitiones concipit, ita tamen, ut easdem neque neget, neq; affirmet, quomodo judicium ex primâ mentis operatione, ſine quo verus propoſitionis ſenſus exiſtere non poteſt, poterit excludi? Cum & hic diſcurſu neceſſariò opus ſit, ut obſcuriores propoſitiones, non dico, vel neges, vel affirmes, ſed ſaltem apprehendas. Ita qvanto judicio, quanto

diſcurſu

diſcurſu verum Ariſtotelicorum ſcriptorum ſenſum indagarunt ejus interpretes ? Quanto judicio opus eſt, ut in ineptiis iſtis Bohemiſticis vel ſenſum aliqvem verborum exſculpas, licet nondum aliquid in illo vel neges vel affirmes? De quibus rectè vereqve dixeris: ſtultitia ſunt legenti, nec poteſt intelligere. Non itaq; ſtultitiæ vox efficit, qvin verba Apoſtoli de mero etiam rerum ſpiritualium ſenſu literali poſſint intelligi. Deinde idem Vir celeberrimus docet, non intelligi ab Apoſtolo notitiam nudi ſenſus literalis, ſed intelligentiam ipſarum rerum, ſub ſenſu literali latentium; atqve hanc ab animali homine juxta Paulum non percipi, adductis ad rem illuſtrandam aliquot Scripturæ exemplis, contendit. Sed verò ſi verba capiuntur, ut ſunt ex communi uſu deſumpta & nativam ſuam ſignificationem in ipſâ Scripturâ retinent, cur non & capiatur vel ex iisdem vel ex collatione, ſimul verus verborum ſenſus ? Si verba Scripturæ res ſpirituales & ipſum ſenſum mentemq; Spiritus Sancti in ſe comprehendunt, (qvemadmodum verè comprehendunt, niſi dicere velis, mentem Spiritus S. non ex Scripturâ, ſed ex immediatâ Spiritus revelatione, & hac non per Scripturam, ſed tantum cum Scripturâ in intellectum influente, quod Enthuſiaſticum eſt, hauriri) cur per hæc ipſa verba homo animalis non ſimul ipſam Spiritus Sancti mentem ſpiritualem ſenſumq; capiat ? Sunt enim verba vehicula ſenſus. Unde & præfatus auctor non ita confidit huic diſtinctioni, quin in concluſione ſenſus ſpiritualis perceptionem ad cognitionem rerum ſalutarem illicò reſtringat. In quo tamen nondum videtur ſatisfacere vel rei ipſi vel ſibi. Non rei ipſi; quia nondum allatæ ſunt cauſæ ſatis graves, qvæ convincant, Apoſtolum generaliter loqventem reſtrictè intelligendum eſſe. Qui enim generaliter loqvitur, ordinariè generaliter vult intelligi. Non ſibi; qviâ é veſtigio fatetur, ſalutarem rerum cognitionem ſub ſenſu literali contineri

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/33 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

neri. Qvod non poteſt niſi de eâ ſalutaritate, ut ſic loqvar, intelligi, qvæ in ipſis verbis Scripturæ latet, nec ab iis ſeparari poteſt, non de fructu. Habet enim in ſe qvælibet Scripturæ ſententia, rectè intellecta, virtutem ſalutarem, hominem convertendi & ſanctificandi. Manet itaq;, hæc omnia non obeſſe, quo minus verba Apoſtoli in eâ ſimplicitate, prout jacent, & incapacitatem non aſſentiendi tantum rebus ſpiritualibus, ſed easdem etiam rectè intelligendi enunciant, intelligi debeant, poſſintqve.

XIV. Facilius ſe ex plurimis difficultatibus expedire videntur, qvi negant, phraſin: *ſcribi in librum vitæ*, electioni usqveqvaq; æqvipollere, quam qvi affirmant. Nec enim neceſſum eſſe putant, illam loqvendi formam ita perpetuò exponi, qvippe qvod nec uſus Scripturæ reqvirat, nec oppoſitio permittat, cum, qvi ſcriptus eſt in librum vitæ, ex eodem poſſit deleri: *illum ex libro meo delebo, qvi in me peccaverit*, Ex. XXXII. 33. Qvi verò inter deletionem privativam & negativam diſtinguant, partim â literâ ſine gravi causâ recedere, partim aſperrimo reſpondendi genere Scripturæ ſimplicitati videri detrahere. Qvid enim eſt, inqviunt, ſcribi in librum, niſi per metaphoram, quod conſultò decreveris, memoriæ firmiter imprimi? Ut nempe Malach. III. 16. hic ipſe vitæ liber per *librum memoriæ Dei* exponitur. Vitam verò in Scripturâ triplicem nobis proponi, naturæ, gratiæ & gloriæ. Ut igitur detur è gratiâ lapſus, ita & deletionem dari ex libro gratiæ. Id totidem verbis Apocalypticam Scripturam enunciare c. XXII. 19. *Si qvis abſtulerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ & ex civitate ſanctâ & ex iis, quæ ſcripta ſunt in libro hoc.* Ergo librum vitæ eſſe catalogum civium civitatis ſanctæ, ut in eâ vivant, utantur, fruantur omnibus juribus & privilegiis, civibus Eccleſiæ competentibus. Qvi nihil aliud ſit qvam liber vitæ gratiæ, ex qvo detur deletio.

Qvin

Qvin & ſi de libro naturæ intelligatur Moſes, (qvod omnium minimis objectum eſſe difficultatibus ad h. l. cenſet *Andr. Rivetus*) tamen & ex hoc deletionem veram contingere poſſe, ut vitæ eripiatur ob præcedentes transgreſſiones, qvi ſi Divino ordini obſecutus fuiſſet, vitam ad longius temporis ſpatium produxiſſet, extra dubitationem poſitum eſt. Qvamqvam verò nec improbabiliter dicantur, nec etiam infirmis argumentis pugnent, qvi phraſeon: inſcribi in librum vitæ & eſſe electum, qvod fuſe propugnat in Breviario ſuo *Varenius* noſtras, æqvipollentiam defendunt, qvilibet tamen videt, meram eſſe de vocum acceptione controverſiam.

XV. Reſurrectio Chriſti à mortuis, Act. XIII. 34. valide probatur ex Eſai. LV. 3. ſi notaverimus, ex *R. Ab. Eſrâ*, ad hunc locum dicente: *probabile eſt, miſericordias Davidis innuere Meſſiam, qvi ex familiâ ejus naſciturus eſt.* Qvali abſtracto vocabulo nempe idem Meſſias *deſiderium omnium gentium dicitur*, Hagg. II 9. Nam hæ miſericordiæ Davidis ſtatim in ſeqventi Eſaiæ verſu ſingulari numero, dicente etiam *D. Varenio* noſtro, exegetâ incomparabili, *teſtis populorum & princeps gentium*, vocantur, & Paulus hanc ipſam ob cauſam vocem: חסידים per ὅσια πιστὰ convertit, qvia Meſſias erat *ſanctus ſanctorum*, Dan. IX. 24. Unde argumentum eſt: Qvi eſt miſericordia Davidis, (in qvo nempe omnis miſericordia, â Deo Patre in nos profluens, repoſita eſt & per eum hominibus confertur) fidelis, incorrupta, nunqvam fallax, is non poteſt in morte manere. Agnoverunt aliqvo modo hanc conſeqventiam Judæi, Joh. XII. 34. qvamqvam in hoc falſi, qvod vi, האמונה, *fidelitatis* illius mori non poſſe Meſſiam exiſtimarint. *Henr. Hammondus*, doctiſſimus Scripturarum, qvamqvam nonnunqvam curioſior, rimator, qvamqvam per ipſum Davidem μυστικωτέρως intelligat Chriſtum, eundem tamen facit ſenſum: *niſi iterum excitatus fuiſſet Chriſtus, fœdus, promiſſaq; & per eum conferenda beneficia non fuiſſent πιστὰ, firma, fide-*

*lia, rata atq; in perpetuum duratura, ſed eundem ac ejus vita finem habitura fuiſſent, cum ejus reſurrectione & aſcenſione in cœlum valida & rata facta fuerint.*

XVI. Patriarchale illud de Chriſto vaticinium: *Non auferetur ſceptrum de Juda, neq; princeps de pedibus ejus, donec veniat Schilo,* Gen. XLIX. 10. conſenſu qvodam de Meſſiâ interpretantur veteres Judæi, tantaq; eſt recentiorum malitia, ut ſurſum deorſum vertere nativum ſingularum vocum ſenſum, qvam veſtigiis veterum malint inhærere. Nulla verò hactenus unqvam loci ſententia, quæ vel verbis propheticis, vel prædictorum eventui eſſet convenientior, producta in medium fuit, qvam qvæ edita ab illuſtri *Wagenſeilio* eſt, Exercitatione ad hunc locum. Nam שבט, commune ſignificatum ſuum retinet, qvo *ſceptrum* & hoc per metonymiam imperium notat, qvalem eminentiam jam in antecedentibus vaticinari Jacobus Judæ cœperat. Vox vero: מחקק, magiſtratum qvemlibet inferiorem, quem ἄρχοντα Græci generatim vocant, exprimit. Ita *R. Sal. Jarchi* in Danielem: *Vox* מחקק *notat minorem magiſtratum, qui auctoritate & veniâ regum Perſicorum præerat, ſicut τὸ* שבט, *magiſtratum ſummum.* Cum qvo conſentiunt *R. D. Kimchi* & *R. Iſ. Abarbenel.* Cum verò dicitur: מבין רגליו figuratè ultimum rei inſinuatur, planè ut Ex. XI. 8. II. Reg. III. 9. Ut adeò populus Iſraëliticus tanquam vir repræſentetur, qui manu ſceptrum teneat & habeat ſubditos ad pedes. Quamquam, quod ad hæc poſtrema verba ſpectat, cum non dicatur לרגליו, ſed מבין, *ab inter pedes*, convenientius convertat in Comm. in Geneſ. *D. Seb. Schmidius*: *nec legislator natus ab inter pedes ejus.* Qvi addit: *τὸ eſſe ab inter pedes ejus eſt elegans atq; modeſta deſcriptio nativitatis non tantum à matre, ſed etiam à patre, ſicut alias filii è femoribus patrum exire dicuntur.* Qvo ipſo paulò ante mortem ſuam corrigit ſententiam ſuam priorem, antea in Collegio Biblico defenſam. Qvid verò de cætero convenientius eſt eventui,

cum

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/36
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

cùm primò à populo Judaico ablata fuerit poteſtas verè regia, imperium ἀνυπεύθυνον ipſi adimentibus Babyloniis, Perſis, Græcis, Romanis, remanſerint tamen usqve ad tempora poſt Chriſtum rectores & duces inferiores, donec everſis Hieroſolymis Iſraëlitæ eſſent planè *ſine rege & ſine duce*; Oſ. III 4. Retinuiſſe verò Judæorum Duces, qvi regum titulo tempore Chriſti vanè ſuperbiebant, tantum juris, ut & judicia circa religionem capitalia exercere ipſis licuerit, non obſtante, qvod Joh. XIIX. 31. per σόφισμα πολιτικὸν, invidiam & periculum declinaturi, cauſam circa Chriſtum ſacram in civilem convertere & eundem tanquam ſeditioſum Pilato plectendum offerre voluerint: *non licet*, inqviunt, *nobis interficere qvemquam*, tam evidenter patet ex locis & exemplis, Joh. XIIX. 31. Act. VII 54. ſ. XXII. 4. 5. XXIV. 6. XXV. 19. 20. Matth. X. 17. II. Cor. XI. 14. recenſitis, ut temerarium eſſet, id inficiari. Pulcra diligentiſſimaqve in hunc locum extat diſputatio Gryphiswaldiæ An. MDCCV. conſcripta â doctiſſimo M. *Nicolao Kœppenio.*

XVII. Divinæ gratiæ vim & efficaciam in movendis convertendisqve hominum animis mirifico verborum apparatu Paulus prædicat, Eph. I. 19. 20. dum inquit: *Et qvid ſit ſupereminens magnitudo potentiæ ejus in nos credentes, ſecundum efficaciam potentiæ roboris ipſius, qvam operatus eſt in Chriſto, excitans ipſum ex mortuis & collocans ad dextram ſuam in cœleſtibus.* Dixerat in præcedentibus Apoſtolus, gratias ſe Deo ingentes agere pro Epheſiorum fide, quam receperant, eundemq; precari, ut Spiritu ſapientiæ & revelationis eos magis magisq; repleat, ut illuminatos iis oculos concedat, ut videant ſpem ineffabilem cœleſtis hæreditatis, ex fide ipſis paratam, & cognoſcant ſuperabundantem magnitudinem potentiæ, in credentes effuſam. Itaque duo eos expendere jubet, vitæ, qvam olim per fidem adepturi ſint, ſummam excellentiam, & modum illum admirabilem, quo ad tantum beneficium fuerint perducti.

Hunc verò in eo conſiſtere ait, quod ſit non viribus humanis, ſed Divinâ virtute effectus. Virtutem nempe prædicat, non tantum quâ adepturi olim ſint ſalutem, ſed etiam quâ conceperint fidem: *quâ creditis*, inquit, *ſecundum operationem potentiæ ipſius*. Ut adeò fruſtra Divinam hanc virtutem ad futurum tantum fidei effectum reſtringat *Grotius*, ceu fuſè & accuratè ad h. l. demonſtrat *Calovius*. Si Barbaræ regiones Romanorum armorum virtute victæ & ad vitæ, literis moribusq; excultæ, honeſtatem & pulcritudinem traductæ ſunt, ingenti quidem potentiâ ſed humanâ tamen non ſuperiore, id factum eſſe putandum eſt. At converti ab animæ tenebris ad lucem, à mundo ad Chriſtum, Divinam infinitamq; virtutem reqvirit. Hanc dum deſcribere & prædicare Apoſtolus inſtituit, quendam vocum, inuſitatam potentiam inſinuantium, συναθροισμὸν coacervat. Vocat δύναμιν τοῦ Θεοῦ, *potentiam Dei*, ſeu Deo propriam, vires hominis longè excedentem, quo ſenſu & Matth. XXII. 29. occurrit. Et quidem μέγεθος τῆς δυνάμεως, *magnitudinem potentiæ*; qvæ vox μέγεθος cum in Scripturâ amplius non compareat, ipsâ ſingularitate ſuâ ſingularem, magnamq; potentiam denotare videtur. Magnitudinem verò iſtam, ne vulgaris eſſe exiſtimetur, ὑπερβάλλουσαν appellat, quaſi omnes reliquas magnitudines vincentem & *ſupergredientem*; quod axioma & gratiæ Divinæ, quâ nulla in mundo major eſſe poterat, adſcribit, II. Cor. IX. 14. Hanc ſupereminentem potentiæ Divinæ magnitudinem operari fidem in credentibus ait, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, *ſecundum efficaciam*, (quæ & ipſa vox plerumq; ſummam virtutem notat) *roboris fortitudinis ipſius*: per duplicem Hebraismum, id eſt, juxta robuſtiſſimam fortiſſimamq; ſuam efficaciam. Cumulantur nimirum vocabula, idem ſignificantia, ut in ſummâ excellentiâ intelligantur; ceu apud Hiobum: עִמּוֹ חָכְמָה וּגְבוּרָה לוֹ עֵצָה וּתְבוּנָה, *cum ipſo eſt ſapientia & fortitudo, ipſi eſt conſilium & intelligentia*, id eſt, ſum-

ſumma prudentia, omnem hominum ſapientiam excedens. Id quodammodo Germani imitantur, non in conjungendis pluribus vocibus, ſed iisdem bis terve repetendis; ut Gut/ Gut/ Gut. Groß/ Groß/ Groß. Deniqve tantum hoc Divinæ virtutis robur eſſe aſſeverat Paulus, qvale quantumq; fuit, quo Chriſtum ex mortuis excitavit, collocavitqve ad dextram majeſtatis Divinæ. Quod nullâ humanâ potentiâ fieri poſſe, ipſa ratio humana agnoſcit & dictat. Jubet itaque Apoſtolus Epheſios conſiderare virtutem DEI ſummam, verè Divinam, verè infinitam. Qvi ante converſionem ſuam ſine Deo erant, idolorum à pueritiâ cultores, immerſi omnium flagitiorum cœno, veritatis Chriſtianæ in tantum inimici, ut in faciem hominis fidelis exſpuerent, ii ſubitò ab inveteratis radicatisq; moribus immutantur, Deos ſuos rejiciunt, iisq; maledicunt, probitati ſtudent pietatiq;, in Chriſtianæ religionis ſanctimoniâ ſummam fiduciæ ſuæ, ſpei ſuæ, conſcientiæ ſuæ ponunt. Unde hæc tanta tamq; ſtupenda mutatio? Nihil humani efficere tanta miracula poterat, poterat ſola virtus, omnem humanam virtutem, qvantum à cœlo terra abeſt, excedens. Quam *Theophylactus* ex *Chryſoſtomo* ideo ipsâ creatrice potentiâ majorem eſſe aſſerit, quia hæc in nihilo, ex quo entia ſua producit, nihil inveniat, quod reluctetur, inveniat autem in homine irregenito, quod reſiſtat DEO operanti & repugnet. Nihil tamen patrocinatur hic locus gratiæ Divinæ, hominis converſionem procurantis, irreſiſtibilitati. Nec enim potentia hominem convertendi in abſolutâ agendi ratione, cui reſiſtere nihil poteſt, potentiæ reſuſcitandi mortuos comparatur; poſſe enim convertenti gratiæ reſiſti, diſertis Scriptura verbis aſſerit, Act. VII. 51. ſed in potentiæ Divinitate, quæ quia converſionem intra certum ordinem operatur, cui reluctari homo poteſt, effectum ſuum non ſemper aſſequitur: ſed ideò Divina & omnem humanam potentiam longè ſuperans perinde eſſe

non deſinit, ac non ceſſat Divina, humanaqve ſuperior potentia eſſe, qvâ Deus cum generatione cujuslibet animalis, in qvâ ſemper cum naturâ id, qvod optimum eſt, intendit, concurrit, (qvi concurſus non minus Divinæ & ſuperexcellentis virtutis eſt ac operatio converſionis in homine; cum juxta vetus dictum conſervatio rerum creatarum, qvo & concurſus Dei pertinet, in effectu nihil aliud ſit, qvam continuata creatio) & eo tamen non obſtante monſtra qvotidie generantur. Ad eum nempe modum, qvo ſumma, conceſſa à principe poteſtas, non vulgaris qvæcunq; , ad id reqviritur, ut alteri jus dicas, vel delinqventem carceri includas, qvo non obſtante etiam principali mandato reſiſtere poſſis.

XIIX. Vix ullus eſt in ſacris locus, univerſalitatem vocationis ad ſalutem majori cum ἐμφάσει exprimens, qvam Pauli effatum, Act. XVII. 30. 31. Ubi & præcipere Deus dicitur hominibus, & quidem omnibus & iis ubiq; locorum, (en triplicem univerſalitatis inſinuationem!) ut pœnitentiam agant, Divini judicii intuitu; utq; ſalutariter agere poſſint, omnibus fidem ſalutarem per Evangelium, tum prædicatum, offerre. Nam πίστιν hoc loco de argumento fidei accipere, quod Sociniani, aliiq; faciunt, extra uſum Scripturæ eſt; & ubi pœnitentiæ opponitur fides, fides ſalutaris, hominem juſtificans & ſalvans, intelligitur, Marc. I. 15. Vana *Th. Bezæ* exceptio eſt, per omnes homines intelligi omnes hominum nationes, cum Apoſtoli omnibus hominum individuis prædicare non potuerint. Nec enim tantum dicitur, Apoſtolos omnibus locis, (quo loqvendi modo nationes indigitantur) prædicare debuiſſe, ſed & omnium locorum hominibus. Et qvamqvam non omnibus individuis prædicaverint ipſimet Apoſtoli, eo tamen ipſo, quia omnibus locis & nationibus prædicaverunt, omnibus ſimul locorum nationumqve individuis prædicaſſe non minus intelliguntur, ac ut principis miniſter heri ſui mandatum omnibus

ſingulisq;

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/40 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

ſingulisque urbis civibus aperuiſſe & publicaſſe intelligitur, qvando Senatui præcipuisq; civibus, tribuum capitibus, inſinuavit, à qvibus ad reliqua individua omnia neceſſariò dimanat.

XIX. Qvamqvam inter Theologos usq;quaq; conveniat, ubicunq; locorum in ſacris juſtificationis hominis peccatoris coram Deo mentio fiat, ibi vocem in forenſi ſignificatu uſurpari, (qvod in diſputatione contra Pontificios ſufficere utiq; poteſt) non tamen in eo planè idem ſentire videntur: annon extra juſtificationis coram Deo forum eadem vox aliqvoties, vel ſaltem in loco illo celebri, Apoc. XXII. 11. *Qvi juſtificatus eſt, juſtificetur adhuc*, in ſenſu illo Phyſico, quo aut infuſionem aut augmentum juſtitiæ inhærentis ſignificet, occurrat? Et forte huic poſteriori opinioni pleriq; vetuſtiores à tempore reformationis Theologi, ad *Gerhardi* usq; ætatem & ultra, adhæſerunt, quamqvam non ſine inſigni differentiâ; nempe omnibus quidem locum de juſtitiâ inhærente intelligentibus, ſed nonnullis I. verba tantum referentibus ad hujus juſtitiæ continuationem, II. Aliis ad ejus tantum augmentum. Quibusdam III. ad utrumq; ſimul. IV. Aliis in voce δικαιῶσθαι primariò juſtitiam imputatam, ſecundariò & conſequenter inhærentem, tanquam illius fructum & effectum, intelligentibus. Cum verò nuper demum graviter contendi cœperit, utrum huic ultimæ verbi: *juſtificationis*, ſignificationi inſiſtendo, rectè dici poſſit: *Deum nos juſtificare per imputationem juſtitiæ Chriſti & per operationem juſtæ vitæ*, non abs re erit, ſi ipſorum auctorum verba mentemq; intueamur. Ita B. *Lutherus* ipſe, tanqvam cæterorum promachus, locum vertit: Wer fromm iſt/ ſey immer fromm. Qvantumlibet ſciverit, fromm ſeyn und heilig ſeyn/ unum planè Scripturæ uſu eſſe idemq;. Motus citra dubium fuit vetuſtorum qvorundam codicum auctoritate, qui non legunt, ceu hodierni noſtri præferunt: καὶ ὁ δίκαιος δικαιωθήτω ἔτι, *juſtus juſtificetur adhuc*, ſed:

καὶ

καὶ ὁ δίκαιος δικαιοσύνην ποιησάτω ἔτι, *& juſtus juſtitiam faciat adhuc*. Qvam lectionem & Syrus expreſſit. Qvali codice uſum eſſe *Cyprianum* perqvam veroſimile eſt, qui in libro de Bono patientiæ verſionem hujus loci ita repræſentat: *juſtus autem adhuc juſtiora faciat*. *D. Jo. Brentius*, exegeta incomparabilis ingenii & ſvavitatis, in Confeſſione Würtenbergicâ, de juſtitiâ novæ obedientiæ Apoſtolum interpretatur, in quâ renatos quotidie oporteat creſcere ex auditu verbi; ceu in loco de juſtificatione advertit *D. Gerhardus*. Eandemſententiam in hâc ipsâ Academia tenuêre quondam *D. Jo. Quiſtorpius*, Sen. de ſanctis Bibliis noſtris præclariſſimè meritus, in Annotationibus Biblicis, ubi: *Sancti & juſti*, inquit, *in ſanctitate & juſtitiâ novæ obedientiæ ex auditu hujus verbi creſcent*; rationemq́ addit, quia juſtitiæ virtus, non verò juſtificatio, magis & minus admittat; & *D. Jo. Cothmannus*, in Diſputatione de juſtificatione, An. MDCXLVI. habitâ, qui tamen utramq́ juſtitiam, imputatam & inſulam, conjungit, hoc modo: *In Apocalypſi juſtificatio pro actus incremento accipitur & de ejusdem reiteratione & continuatione. Qvi juſtificatus eſt, (qvomodo hæc juſtificatio fiat, hoc loco non docet Apoſtolus) juſtitiâ ſcilicet Chriſti, juſtificetur adhuc, id eſt, ſeſe coram DEO juſtificatum fructibus juſtitiæ demonſtret & declaret, vel in Dei gratiâ maneat, in fide perſeverans, & gratiâ Dei & ſuâ juſtitiâ recte utatur, non abutatur*. *D. Mart. Chemnitius* in Locis Theologicis, Phyſicone an Politico ſenſu vox juſtificationis in Apocalypſi accipiatur, dubitare videtur. *D. Jac. Heerbrandus* in Compendio Theologico verbum juſtificare aliquando ſignificare ait, cum homines juſtificati incipiunt bonis, rectis & ſanctis actionibus juſtiores fieri. Atq́ huc pertinere ait locum Apocalypticum, in qvo præcipiat Apoſtolus, *ut renatus in ſtudio bonorum operum ita pergat, ut continuo actu obedientiæ proficiat in pietate*. *D. Luc. Oſiander*, Senior, Paraphraſi ad locum Apocalypticum: *Qvi juſtus eſt, id eſt, qvi*

*inno-*

*innocenter vivit, juſtificetur adhuc, id eſt, ſubinde majores progreſſus in verâ pietate faciat.* Abſolutè itaque juſtitiam inhærentem, & qvidem eam quoad gradus, voce, ἔτι *adhuc* notatos, ſpectatam, ut ferè omnes præcedentes, intellexit *D. Lucas, Lucæ F. Oſiander,* Junior, in Enchiridio controverſiarum cum Pontificiis, cum locum Apocalypticum Pontificii objeciſſent, reſpondet: *ſermonem eſſe συνεκδοχικὸν, ubi totum pro parte ſumatur, ſeu cauſa pro effectu. Loqui enim Johannem de renovatione, ſub nomine juſtificationis, qvod verba immediatè ſequentia explicatius doceant.* Veniamus ad paulò recentiores. *D. Alb. Grauerus* in Articulum *IV.* Auguſtanæ Conf. diſertè: *Facile largimur, ſermonem in Apocalypſi eſſe de juſtitiâ operum, non autem de juſtitiâ fidei. Juſtitia autem operum eſt, qvâ in hâc vitâ ſanctè incipimus vivere. Mens itaque Apoſtoli eſt hæc: qvi cœpit ſanctè & juſtè vivere, is pergat in ſuo propoſito.* In hoc nempe à cæteris tantum differt, qvod vocem ἔτι, non gradus, ſed continuationem tantum notare exiſtimet. *D. Ph. Henr. Friedliebius* in Medullâ priores illos preſſo pede ſeqvitur & in Apocalypſi ſtatum novæ obedientiæ, ſive juſtitiæ incrementum ſignificari contendit. Imo, niſi omnia me fallunt, in Breviario ſuo eandem planè cum *Cothmanno* noſtro opinionem foviſſe & *D. Jo. Hülſemannus* videtur, ubi inter juſtificationem activè poſitam, quæ ſemper forenſis ſit, & poſitam paſſivè diſtinguit, deq; hac inqvit: *De renatis autem & juſtificatis in concreto enunciantur nonnunqvam effectus quidam, vel attributa quædam, ut JUSTIFICARI, juſtum eſſe, facere juſtitiam; qvæ neq; indolem vocis activæ,* (quæ forenſis eſt) *neq; formalem rationem juſtificationis* (quæ in remiſſione peccatorum & imputatione juſtitiæ Chriſti conſiſtit) *conſtituunt, ſed rem ipſam naturaliter conſeqvuntur.* Qvibus ſubjicit locum Apocalypticum. Hæc tamen tanta doctorum differentia movere hodie neminem debet, ut Apocalypticum hunc locum ab ordinario



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/43 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

juſtificationis ſignificato eximat: cum I. nulla prorſus ejus rei ratio idonea allegari poſſit. In propriâ autem vocum ſignificatione eousqve manendum eſt, donec per graviſſimas rationes inde detrudamur. II. Cum talis ratio eſſe nequeat, quod gradus hujus juſtificationis hoc loco conſtituantur, quos vera juſtificatio non admittat. Nam allegatus paulo antea *D. Hülſemannus*, opere poſthumo Prælectionum in Formulam Concordiæ, clariſſimè demonſtrat, vocem ἔτι nuſpiam eſſe adverbium qvalitatis vel *qvantitatis* intenſivæ, quod ſignificat magis & minus, ſed ubique eſſe adverbium temporis & notare: *amplius* vel porrò, utpote in ſolâ Apocalypſi, c. XIIX. 11. 14. 21. 22. 23. c. XXI. 1. c. XXII. 3. Et qvid opus eſt eâ de re dubitare, cum in hoc ipſo verſu in cæteris prædicatis omnibus aliud qvid intelligi nequeat: *qvi injuſtus eſt*, (non injuſtior fiat, ſed) *pergat injuſtus eſſe*; *& qvi ſordidus eſt* (non ſordidior fiat, ſed) *pergat ſordidus eſſe*; *qui ſanctus eſt*, (non ſanctior fiat, ſed) *pergat ſanctus eſſe*. Cur itaqve non item, *qui juſtificatus eſt*, (non creſcat aut proficiat in juſtitiâ, ſed) *pergat in juſtificationis ſtatu conſiſtere*. III. Longè infirmius pro infuſâ juſtitiâ argumentum eſt, ex conſeqventi deductum, qvia nempe ſtatim ſeqvatur: *qvi ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc*; quod urget *Luc. Oſiander*, ſed invalidum eſſe judicat celeberrimus *Lucæ*, niſi fallor, Nepos, *Joannes Adamus*, in Collegio Syſtematico. Nam planè contrarium exinde jure meritoqve infertur, quia omnino improbabile eſt, idem voluiſſe dicere Apoſtolum & obſervante ad h. l. *D. Kromayero*, qvaſi ταυτολογίαν committere. Qvemadmodum cum ait Paulus: *Chriſtum Jeſum à Deo nobis factum eſſe ſapientiam, juſtitiam, ſanctificationem & redemptionem*, I. Cor. I. 30. non dicendum eſt, per hæc omnia ſingulaque unum quid intelligi, ſed quælibet potius vox in proprio ſuo ſignificatu relinquenda & ab alterâ ſeparanda eſt. Qvæ & rationes ſunt, cur IV. hodie

non facile Theologorum qviſqvam in Apocalyptico loco ab ordinario & forenſi juſtificationis ſignificatu recedat. Qvare cum noviſſimè *Jo. Eleon. Peterſenia* in Apocalypſi illuſtratâ locum ita circumloqvitur: Wer böß iſt/ ſey immerhin böß/ (und werde immer böſer) und wer unrein iſt/der ſey immerhin unrein/ (und werde immer unreiner) aber wer from̃ iſt/ der ſey immerhin from̃/ (und werde immer frömmer) ſexui id poſt tot doctorum virorum demonſtrationes condonandum eſt. Qvamqvam & in eo abſurda ſit interpres, qvod & priora duo commata, qvæ mere proverbialia ſunt, pariter per augmenti ſignificationem exponat. Ut enim in proverbio dicere licet: qui injuſtus eſt, porrò ſit injuſtus, qvia qui ita loquitur, nihil aliud effari intendit, quam hoc: qui injuſtus eſt, ſuo malo ſit injuſtus; ut nempe alicubi dicit Paulus: *qvi ignorat, ignoret*, I. Cor. XIV. *38.* id eſt, ſuo malo ignoret; ita per eandem proverbii rationem dicere non licet: qui injuſtus eſt, injuſtior evadat; qvippe cui locutioni proverbialis loqvendi conſvetudo repugnat, quæq; aures audientium non offendere non poteſt. Jamdiu enim â Theologis obſervatum eſt, duo priora commata proverbialem quandam in ſe ironiam complecti, poſteriora duo rem ſeriam enunciare.

XX. Cum Chriſtus in fidelibus eſſe dicitur, II. Cor. XIII. *5.* (hos enim ſingulos explorare jubet, an eundem in ſe ſentiant?) ipſamet litera & præſentiam Chriſti in iisdem & gratioſam operationem inſinuat; non verò illam immediatè, qvod Fanatici volunt, ſed per verbum & Sacramenta animum hominis moventem. Ex qvâ tamen unione non ſeqvitur, fidelem de ſe dicere poſſe: Ego ſum Chriſtus. A qvâ ambitioſâ & ſcandali plenâ locutione, qvâ aliqvando Lutherus, ante mota certamina, imputativæ Chriſti juſtitiæ emphaſin exprimi poſſe aſſeruit, vero Chriſti amatori planè abſtinendum eſt. Rectè *D. Schomerus* Diſputatione de Differentiâ unionis Perſonalis & My-



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/45 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

ſticæ: *formulæ & phraſes ἄγραφοι non ſemper laudari poſſunt, ubi ſenſus, ad qvem adhibentur, ſanus eſt. Multa ſæpius in vocibus ambiguitas eſt, multa ἀκυρολογία, qvam uſus qvidem emollit, ubi conſtans eſt, ſed & aſperiorem reddit, ubi pro ſtudio partium vagam & difformem verborum interpretationem experientia docuit. Etſi itaq; in viris orthodoxis multa commodè interpretamur atq; à calumniis adverſariorum vindicamus pro officio charitatis, non eadem tamen aliis imitanda proponimus atq; commendamus. Sæpe phraſis olim ſatis orthodoxa & ſalubris viſa, poſtqvam tamen ab hæreticis in perverſum ſenſum rapi cœpit, illisq; facta eſt familiaris, non injuriâ ab ortodoxis evitatur.* Exemplo Arianorum, Pelagianorum, Weigelianorum. *Unde multum errant, qvi verborum incommodorum poſtulati ſolâ majorum auctoritate ſecuri eſſe volunt. Deniq; ſi pro monito Paulino nolumus λογομαχεῖν, aq; cavere oportet, verba, qvæ aliis periculoſa aut plena ſcandali videantur, utut forte nobis non videantur atq; ab aliis æqvitatem explicationis deſideramus. His itaq; de cauſis rectè & piè fecerunt Theologi, qvod etſi doctrinam Lutheri piam atq; ſalutarem agnoſcunt, eundemq; conſtantiſſimè ſervant, à phraſi tamen controverſâ & ambiguâ abſtinuerint, qvæ apud ipſum legitur, ne aliqvam impietatis Weigelianæ ſpeciem imperitis præberent.* Hactenus ille.

XXI. Inter argumenta præexiſtentiam Chriſti ante Mariam contra Socinianos probantia non inſvetum qvibusdam eſt & illud adduci, qvod cum in mundum veniſſe dicatur Salvator, intelligatur antea extitiſſe, qvam venire poterat. Id forti inſtantiâ elidere ſatagunt Sociniani ex loco illuſtri, Joh. I. 9. *Erat lux vera, qvæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum.* Qvid enim? inqviunt. Ergo omnes homines exiſtunt anteqvam naſcantur? Memini, me in maximi noſtrarum partium Theologi ſcriptis locum iſtum hunc in modum, (non minus ac ab ἀλλοφύλοις plurimis, etiam *Grotio* & *Hammondo* factum) converſum legere: *erat lux vera, qvæ illuminat omnem*

*hominem*

*hominem, veniens in hunc mundum.* Ut adeò τὸ: ἐρχόμενον, nominandi caſus ſit, non accuſandi, lucem reſpiciens, non hominem. Qvo pacto argumentandi noſtrorum ratio hoc dicto adjuvabitur potius, qvam deſtruetur. Et qvid dicent Sociniani? Itane inſolens eſt, verbum qvoddam remotius potius nomen qvam proximius reſpicere? Cum Paulus inqvit: *ne moveamini à ſpe Evangelii, qvod audiviſtis, qvodq; prædicatum eſt omni creaturæ, qvæ eſt ſub cœlo; cujus ego Paulus factus ſum miniſter*, Col. I. 23. anne Paulus factus eſſe miniſter cœli potius, qvæ vox immediatè præcedit, qvam Evangelii, quod remotius eſt, putabitur? Si vel negaverint Sociniani, ſuamet cædent paſſim vineta. Memorabile de cætero eſt, cum in plerisqve lingvis conſvetum ſit, nativitatem cujuslibet hominis per τὸ: *venire in hunc mundum* deſcribere, qvod & in Apocryphis libris factum eſt, in ſacris tamen indubitato θεοπνεύστοις eam loqvendi rationem de ſolo Filio DEI enunciari. Qvæ cum nonnunqvam & terminum, unde venerit, exprimat, utpote cum dicitur: *à Patre mitti in mundum*, Joh. X. 36. XVII. 18. & Filius *à Patre exire & venire in mundum*, Joh. XVI. 28. dubitandum planè non eſt, τὸ venire in mundum, ejus præexiſtentiam, anteqvam veniret in mundum, involvere. Atq; adeò probabile eſſe, qvicquid contra diſputet ad locum Johanneum *Giphanius*, τὸ: ἐρχόμενον in loco Johanneo, lucem potius qvam hominem reſpicere. Vera lux autem dicitur Chriſtus per analogiam attributionis extrinſecæ, ejusq; adæqvatæ, quia intellectum hominis obtenebratum veriſſimè illuminat, quia omnem intellectum, qvantum in ſe eſt, illuminat, quia ſine defectu, hic inchoando, ibi abſolvendo, perfectè illuminat.

XXII. Freqvens illa in ſacris Chriſtianorum denominatio, quâ regum & ſacerdotum titulo nobilitantur, quæ in Veteris jam T. Eccleſiâ Deo auctore cœpit & novi T. Eccleſiam tranſlata eſt, ut illa ממלכת כוהנים, *regnum ſacerdotum*, Ex. XIX. 6.

hæc *βασίλειον ἱεράτευμα*, *regale ſacerdotium*, 1. Petr. II. 9. appellaretur, partim ſummam Chriſtianorum præ gentilibus nobilitatem & præſtantiam, quâ ceu reges quidam in mundo eminent, partim eorundem munditiem & ſanctitatem, quâ â profanis gentilium ſordibus discernuntur, inſinuat. Planè dilucidè atqve perfectè hanc comparationem evolvit Petrus, qvo nemo certior eſt illorum locorum interpres. Toto enim capite hoc velut unum agit, ut oſtendat, qvantâ prærogativâ Chriſtiani gaudeant præ infidelibus, dum converſione ſuâ *pervenerint ad Chriſtum Dominum, lapidem viventem, acceptum coram DEO*; regem nimirum regum & dominum dominorum, Apoc. I. 5. את גבר עמית יהוה, *virum Deo proximum* & majeſtatis Divinæ conſortem, Zach. XIII. 7. Qvid verò magis regium & magnificum eſt, quam ſummo aſſociari regi familiæq; ipſius conſortem cenſeri? Verè Hebræi in proverbio dicunt: עברא דמלכא מלכא, *ſervus regis & ipſe rex eſt*. Cum è contra gentiles humi repant & lapidem illum angularem rejiciendo exulent ex illuſtri hoc regno, ſuamq; ſibi attrahant perniciem. Sacerdotium verò nervoſis verbis Petrus exponit: *ut offeratis victimas acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum, utque virtutes annuncietis ejus, qvi ex tenebris vos vocavit in lucem admirabilem*. Duas hujus officii functiones ad morem cultus Levitici V. T. nominat, oblationem & prædicationem. Chriſtianorum ſcilicet eſt victimas offerre, non illas, ut olim, carnales, ſed ſpirituales, cultum nimirum Divini numinis, purum, devotum, religioſum, qvem, מנחה טהורה ſacrificium purum vocat Propheta, qvemque conſiſtere ait בגדילת השם יהוה, *in celebratione cultuqve nominis divini*, Mal. I. 11. in mortificatione veteris hominis, *ſtupri, immunditiei, concupiſcentiæ malæ & avaritiæ, qvæ eſt idololatria*, Col. III. 5. In accommodatione ſuiipſius & *membrorum ſuorum in arma juſtitiæ* Deo, Rom. VI. 13. Et in oblatione qvotidianarum precum, quæ ſvavis odor & *veſpertinum quoddam*

*ſacri-*

*ſacrificium ſunt in naribus Divinis*, Pſalm. CXLI. 2. Prædicatio verò nominis Divini eſt ejusdem celebratio, quod in hunc Chriſtianæ perfectionis ſtatum ex infidelitatis ſordibus nos repoſuerit; publica reſpectu miniſterii, privata, reſpectu cæterorum Chriſtianorum, qvi dum verbis, geſtu & operibus Divinam in ſe gratiam dilaudant, per id *glorificatur pater eorum, qui eſt in cœlis*, Matth. V. 16. Qui ultra hos comparationis modos, tam luculenter à Petro inſinuatos, alios adjiciunt, utpote vocationem quorumlibet Chriſtianorum ad prædicationis vel publicæ vel privatæ munus, vel ad jus ſaltem illud adminiſtrandi, illi literam Petri non premunt, ſed ad ſanguinem usq; emungunt; neq; vident, Veteris T. fideles, qvi pariter regalis ſacerdotii nomine ſuperbiebant, à jure debitoq; ſacerdotii planè fuiſſe excluſos; deniq; non minori jure verè proprieq; regnaturos eſſe vel publicè vel privatim omnes promiſcuè Chriſtianos, quia ſunt *reges*, Ap. I. 6. ſi omnes propriè docturi ſunt, qvia ſunt ſacerdotes. Quod oppidò abſurdum.

XXIII. Nihil ſolennius eſt Pontificiis, qvam Lutheranæ Eccleſiæ inteſtina circa religionem bella & domeſticas objectare diſſenſiones. Ut non facilè apoſtata reperiatur, quin & hunc prætextum ſuæ mutationi obvertat. Qvibus oppoſita à noſtris perpetuò fuit Apoſtoli ſententia: *oportet inter vos hæreſes eſſe*, I. Cor. XI. 19. De eâ neceſſitate loquitur, quæ ex humanorum ingeniorum ſtatu atq; conditione utplurimum enaſcitur. Qvæ qvia novitatibus naturali qvadam infelicitate dedita ſunt, fieri neqvit, quin ſubinde veteres movere limites & inſolentium opinionum ſemina in ſalubri Eccleſiæ agro ſpargere annitantur. Qvo fit, ut nunqvam facile ſine hæreſibus, (qvæ vox generalior eſt & qvamlibet opinationem ſingularem, ab antiquiori recedentem & motus ideò in Eccleſiâ excitantem ſignificat) & internis diſſenſionibus Eccleſia exiſtat. Qvid itaqve eſt, quod nunc demum rixas nobis noſtras objectent

Romani,

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/49 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Romani, cum id ſit Eccleſiæ fatum, ab ipſa ejus infantiâ ortum, id eſt, oppidò antiqvum? Sed, inqviunt Pontificii, nos hæreſes, inter nos enatas, cognita in conciliis causâ, ex pomœriis Eccleſiæ confeſtim proſcribimus; vos, Lutherani, æternum fovetis. Qvaſi verò citra concilium eliminari extra Eccleſiam hæreſes neqveant, nec Lutherani communi omnium conſenſu exortas inter ſe ſectas vel è veſtigio ex Eccleſiâ ſuâ excluſerint, vel ſi ſpe converſionis ſchiſmaticos aliqvanto tempore toleraverunt, non idem fecerint, qvod faciunt Romani, qvi immemoriali tempore utrumq; diſſentientium, ſeſeq; invicem condemnantium doctorum genus, & qvi immaculatam & qvi obnoxiam peccato Mariæ conceptionem defendunt, ad hunc usque diem, neutrum ex Eccleſiæ ſuæ communione excludentes, tolerarunt. Sed videamus, annon ipſi Pontificii in ſinu ſuo ita foveant hæreſes, ut ex Eccleſiæ ſuæ penetralibus neq; expellant unqvam, neqve expellere velint, neq; ſalvâ Eccleſiæ ſuæ amplitudine expellere poſſint? Anno MDCLXXXII. in conventu totius cleri Gallicani, communi omnium, duobus tantum exceptis Epiſcopis, conſenſu ſancitum eſt, qvatuor propoſitionibus irrevocabilibus Pontificis poteſtatem in gratiam Galliarum Regis limitandam eſſe: quarum prima Petro ejusq; ſucceſſoribus rerum temporalium & civilium poteſtatem adimit; ſecunda poteſtatem in ſpiritualibus infra concilia proſternit; tertia eandem ad receptos Eccleſiæ canones reſtringit; qvarta Romani Pontificis judicium, niſi conſenſus Eccleſiæ acceſſerit, non eſſe irreformabile, decernit. Qvid de his propoſitionibus tota reliqva ubiq; fere gentium Romana Eccleſia? Ejus rei ut cæteros omnes, qvi easdem & falſas & ſcandaloſas & hæreticas proclamant, qvos inter præcipue Cardinalis *Sfondrata*, plurimis eâ de re ſcriptis illuſtris, eminet, taceamus, interpretem dabimus *Georgium Szelepechemium*, Strigonienſem Archiepiſcopum, qvi in Epiſtolâ

piſtolâ Synodicâ inter alia: *Inter cætera, quæ ſe nobis corrigenda & eliminanda obtulerunt, & moram pati non poſſunt SINE EVIDENTI PERICULO ANIMARUM, non ultimum locum tenent quatuor illæ propoſitiones --- Quæ eqvidem auribus Chriſtianis abſurdæ & planè deteſtabiles cum per Hungarici quoq; regni provincias à Satanæ miniſtris diſſeminatæ ſint, & perduellioni & cæteris malis inteſtinis pabulum & fomentum ſuppeditent & incautis fidelium animis blandâ pietatis ſpecie SCHISMATICUM VIRUS inſtillent, nos omiſſâ in præſens curâ eas refutandi, cum præcipuè S. Patrum traditione, Oecumenicorum Conciliorum decretis & apertis ipſius Divini verbi teſtimoniis ſatis exploſæ confutatæq; ſint --- Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes --- præhabito diligenti examine & maturâ deliberatione, cum venerabilibus fratribus noſtris & Epiſcopis, Abbatibus, Præpoſitis, Capitulis, aliisq; compluribus Theologiæ Profeſſoribus & ſacrorum ſcientiâ præſtantibus viris, præfatas quatuor propoſitiones configimus & proſcribimus, ne eas legere nec tenere, multò minus docere audeant, donec ſuper eas prodierit infallibile Apoſtolicæ ſedis oraculum, ad qvam ſolam Divino & immutabili privilegio ſpectat, de controverſiis fidei judicare.* Hæccine eſt pulcra illa in ſummo & capitali de capite Eccleſiæ articulo, tanqvam totius Romanæ fidei fundamento & acropoli, conſenſio? Qvæ non uno ſeculo duravit & durabit citra dubium pluribus, niſi velit Pontifex integram ab obſeqvio ſuo abſcindere Galliam, aut alterum denuò, qvod haud ſemel jam factum eſt, Gallis creandi Pontificem ſuppeditare occaſionem. Videatur Diſputatio Inauguralis celeberrimi *D. Ittigii*, complectens Animadverſiones ad cenſuram Facultatis Theol. Pariſienſis, latam in Sorbonâ, die 18. Maij 1683.

XXIV. Graviter ad Eccleſiæ miniſtros S. Petrus, c. V. 2. 3. *Paſcite gregem Dei, qui inter vos eſt*, curæ nempe veſtræ â DEO commiſſum (non in alienum officium involantes) Deiq; gregem,

gem, qvia proprio Dei ſanguine redemptum; paſcite verò verbi Divini uberrimâ diſſeminatione, *providentes*, ut ſeriam agatis & Eccleſiæ veſtræ & perſonarum omnium pro cujus libet conditione, curam, omnibus de neceſſariis proſpicientes, nullam animam ſub jacturâ ſalutis veſtræ negligentes; idq; facite *non coactè*, non inviti, non cunctantes, mercenariorum inſtar, qvi niſi ad comparandam mercedem ipſis, etiam invitis, laborandum eſſet, laborem omnem ſubterfugerent; *ſed ſpontaneo motu*, oculis veſtris unicè in Dominum veſtrum, qvi gregem vobis concredidit, & ſalutem cœtus veſtri defixis; *non turpis lucri cauſa*, ut iis tantum officium veſtrum, qui manus veſtras ungunt, exhibeatis, aut ob qvalecunque lucellum, quod turpe eſt, officio veſtro abutamini; *ſed ex toto animo*, ex propenſa inſerviendi voluntate, ex internâ mentis veſtræ promptitudine potius, quam diteſcendi intentione, profectâ; *non ut dominantes clero*, ſive per vim injuſtam, ſive qvocunqve alio modo, qui magiſtratui politico, non Eccleſiæ miniſtro, competit, ſolo Divino verbo convincere cleros, non veſtros, ſed Domini, hæreditatem nempe & peculium Dei, cujus ipſe ſolus herus eſt, vos verò tantum miniſtri; *ſed typi facti gregis*, in verâ animi humilitate, in Divini verbi amore, in exhibenda proximo charitate, in temperantiâ, in ſobrietate, in juſtitiâ, in caſtitate, in amore pacis & concordiæ, in pietate, in humanitate, in patientiâ, in fundendis jugiter ad Deum precibus, in curandis liberaliter egenis, in exhibendâ omni, qvæ hominem Chriſtianum decet, virtute. O ſi auream hanc admonitionem & officii ſui ideam quilibet Eccleſiarum antiſtites intra animum ſuum altè intromitterent, *ut cum princeps paſtorum apparuerit, immarceſſibilem gloriæ coronam acciperent!*

XXV. Verba Dei ad Moſen, Exod. IV. 16. והיה הוא יהיה־לך לפה ואתה תהיה־לו לאלהים, *& futurum eſt, ut is tibi ſit in os, & tu*

*& tu eris ei in Deum*, immediatè qvidem id exprimunt, fore, ut ob oris ſui facundiam Aaron in legatione iſtâ ſolenni ad Pharaonem & populum Iſraëliticum interpretis, ſeu oratoris potius officium obeat, mandata autem à Moſe accipiat, haud aliter ac ſi is Deus ipſius eſſet, â cujus nutu pendere unice deberet, uterq; tamen ab immediato Dei ore & inſtructione in ſolidum dependeat. Unde hæc notanter connectuntur: *ero in ore tuo & in ore ipſius & docebo vos; qvæ facietis.* Qvæ quamquam ita ſe habeant, animadverſum tamen à graviſſimis Theologis non immeritò fuit, Aaronem in hoc negotio ita deſcribi, ut iſthoc perorandi ad populum officio non tunc tantum, cum ex Ægypto educendus eſſet, ſed poſthac perpetuò, Moſe ſummi Dei loco ipſi manente, functurus eſſet. Cur enim vocatur *frater Moſis ex tribu Levi*, qvaſi ignorare id potuerit Moſes, qvi ex eadem tribu, ex eodemq; fuerat utero? Niſi qvod deſtinatum Aaronem cum universâ tribu ad ſacra olim, ad Moſis præſcriptum curanda, innueretur. Qvod enim *Seb. Münſterus* & *Is. Clarius* in Bibliis Criticis exiſtimant, ideò Aaronem Levitam dici, qvia & alii ejus nominis in aliis Iſraêlitarum familiis extiterint, id frigidum admodum eſt, cum ab iis jam fratris nomine ſufficienter fuerit diſcretus. Unde deſertâ hac opinatiunculâ rectius ad h. l. *Rivetus: putarem, hoc cognomen addidiſſe Moſen in hac narratione, quia Aaron fuit primus ex tribu Levi, in qvo incepit Sacerdotalis ordo, qvi in eadem tribu debuit, permanere usq; ad Meſſiam.* Inſuper cur Aaronem vocat, נביא *Prophetam* Moſis, Ex. VII. 1. niſi qvod non oratorem tantum ejus, ſed & ſacrorum qvondam antiſtitem & interpretem Divini verbi ad populum, præſcribente modum Moſe, tanqvam Deo ſuo, ſignificaretur? Qvod & LXX, ſine dubio ſenſerunt, qvum verba: *Aaron erit tibi os*, converterunt: *tu eris in his, quæ ad Deum pertinent.* Qvos ſecutus eſt Vulgatus. Itaq; Aaron

in toto vitæ ſuæ curriculo, inq; univerſo officio ſuo, Moſen, tanqvam qvi Dei ipſi loco eſſet, & à cujus poteſtate ac voluntate, ordinatâ tamen & ad Dei nutum attemperatâ, unicè dependeret, agnovit; homo nempe clericus magiſtratum politicum, & clericorum princeps ſecularem populi ducem. Juxta Romanæ Eccleſiæ doctrinam & mores æqvum fuiſſet, Aaronem Moſi in Vice - Deum, qvalis hodie eſt Pontifex Rom. in ordine ad Imperatorem, Regesq; & Principes totius orbis, conſtitui; nec vel Eccleſiæ vel ſacri ordinis exiſtimationi Deus conſuluit, qvod hunc ordinem, prælato homine laico, inverterit.

XXVI. Polygamiam ſimultaneam, Lev. XIIX. 18. ubi dicitur: *Mulierem ad ſororem ejus non accipito*, prohibitam eſſe, dubitare nefas eſt, cum loqvendi illa ratio: אישה אל אחותה, in univerſâ Scripturâ S., in qvâ frequentiſſimè, & in ſolo capite XXVI. Exodi qvater, nec unqvam alio ſenſu, occurrit, nihil unqvam aliud, qvam: *una ad aliam*, ſignificet, cur itaq; in ſolo hoc loco in aliam, eamqve inſvetam, rapiatur ſignificationem? præterea ſtudiò Deus in hoc verſu loqvendi formam immutet, cumq; antea dixiſſet: *nuditatem patris tui ne retegito, nuditatem materteræ tuæ ne retegito, nuditatem fratris tui ne retegito*, atq; ſic porrò & perpetuò in infinitum, nunc dicat: *mulierem unam ad alteram ne accipito*; & rationem addat: לצרר, *ad ægrè faciendum illi*; cum genuinæ uxori non ſoror tantum, exemplo Rachelis & Leæ, ſed qvælibet alia, exemplo Hannæ, moleſta eſſe poſſit, qvæ Peninnam ideò ſuam: צרתה, *anguſtiatricem* appellat, I. Sam. I. 7. Qvam obſcure verò & impropriè dictum eſt: לא תקח אישה אל אחותה; qvid hoc eſt rei: *uxorem ad ſororem non accipies*? Cur non propriè potius locutus fuiſſet Deus, ſi proprie intelligi voluiſſet: ולא הקח לך אחות אשתך לאישה, *non accipies tibi ſororem uxoris tuæ in uxorem*? Deniq; qvam macerant ſe & qvaſi affligunt interpretes in exponenda

ponenda hujus legis appendice: בחייה, *in vita ejus*, ſeu dum adhuc illa vivit? Ne nempe ex illâ poſt uxoris obitum ejus ſororem, qvæ tamen marito tam arcto carnis vinculo connexa eſt, ac relicta à fratre vidua, qvam duci ex lege Divinâ fas non eſt, duci poſſe inferatur. Cum ex noſtrâ ſententiâ liqvidiſſimus ſit omnium ſingulorumq; verborum ſenſus: unam tantum uxorem ſimul ducendam, ne ex pluribus exacerbatio inter conjuges oboriatur, eâq; defunctâ, *liberum maritum eſſe â lege* hac, vivâ uxore ipſum obligante, I. Cor. VII. 39. Qvæ argumenta miror, magnum S. literarum interpretem *D. Abr. Calovium*, permovere non potuiſſe, ut ſuffragium pro illâ citra omnem dubitationem ferret, *Grotio* inprimis non diffitente, Karraitarum, qvi, qvamqvam exiguus hodie ſit Judæorum cœtus, ſingularis tamen perpetuo fuit Judæorum ſecta, in qvam & Rabbanitas univerſus Judaismus fuit diviſus, qvi nempe literæ Scripturæ unicè arcteq; inhærent, hanc de hoc loco conſtantem eſſe opinionem. Nec vulgaris objectio qvemqvam turbare debet, qvod cætera in hoc capite omnia propriè capiantur. Nam qvæ loqvendi formæ in proverbiali ſermone ſemel proprietatem omnem exuerunt, veluti cum Latini dicunt: ab ovo ad mala; Hebræi, uxorem ſuam cognoſcere, & ſimiles, proprietati per id non reſtituuntur, etſi vel ſexcentis aliis loqvendi formis, propriè acceptis, adjungantur. Multò minus obeſt, qvod apud *Clericum* aliosqve adverſæ ſententiæ defenſores communiter ad Judæorum perpetuam praxin, ſenſumq; hujus loci conſentientem provocetur. Si enim in primæ conjugii inſtitutionis ſenſu, qvoad vinculi indiſſolubilitatem, univerſa Judæorum natio, demonſtrante hoc Chriſto, errare potuit; qvid mirum eſt, & in ejusdem inſtitutionis pariter atq; loci Levitici ſenſu, qvoad determinationem conjugii ad perſonas tantum duas, Judæos univerſos errare? Cumq;

hæc ſententia, eaq; tantis rationibus nixa, graviſſimorum inde ab *Haffenreffero* usq; Theologorum fuerit, non tam modeſtiam qvam rationem exuat neceſſe eſt, qvi eandem *orthodoxis* (voce in conſvetum ludibrium verſa) *& ſectariis, qvi theſin ideò tantum φυλάττωσι, ne videantur Papæ fallibiles*, adſcribat.

XXVII. Verba Lucæ, Act. XIX. 5. *Audientes autem baptizati ſunt* (à Johanne ſcilicet; continuat enim per voces μὲν & δὲ orationem ſuam Paulus) *in nomen Domini Jeſu*, non formam baptiſmi exprimunt, ſed profeſſionem fidei Jeſu, hoc eſt, Chriſtianæ baptiſmum antecedentis. Si qvis autem etiam hac formâ baptizaret: *baptizo te in nomine Jeſu*, ſalvo aliorum judicio, eum perinde validè non baptizare puto, ac ſi qvis in S. Cœnâ conſecrare vellet ſolâ hac verborum formâ: *hoc eſt corpus meum.* Cum ut nominato Chriſto naturaliter non excluduntur, ſed includuntur cæteræ perſonæ: ita nominato corpore Chriſti non excludatur, ſed includatur naturaliter ſanguis Chriſti. *D. Joach. Hildebrandus* in Theologia Dogmaticâ: *forma Baptiſmi eſt expreſſa mentio Patris, Filii & Spiritus Sancti. Et hanc Baptiſmi formulam adeò neceſſariam ſtatuimus, ut ſi hac una abſit, vel perſonarum una ſtudio omittatur, Baptiſmum irritum declaremus & ſic baptizatos rebaptizandos cenſeamus.* Qvod fusè comprobat & ad objectiones reſpondet. Ex patriis doctoribus *Joannes, Jo. F. Qviſtorpius*, Exercitatione Theologicâ de Baptiſmo, anno MDCL. propoſitâ: *Verba Trinitatis retineri debent, ut Matth. XXIIX. jubetur. Nam ſi verba inſtitutionis mutentur, ceſſat eſſe verum Sacramentum. Nicolaus Papa primus Baptiſmum in nomine Chriſti tantum adminiſtratum approbavit, nos non item.* Nec aliter *D. Seb. Schmidius* in Compendio: *verba illa non debent omitti, nec mutari addendo vel detrahendo, aut non erit verus Baptiſmus.*

XXIIX. Præclarè loca illa in Actis Apoſtolicis, ubi in nomine Chriſti baptizati leguntur, *Joh. Harduinus*, Jeſuita in

Qvæ-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/56 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Qvæſtionibus de Baptiſmo, de invocatione & confeſſione Chri-
ſti, ejusq; doctrinæ interpretatur, probatq; ex duobus locis,
omnium clariſſimis, Act. XXII. 16. *Et nunc qvid moraris?*
*Exurge & baptizare & ablue peccata tua, invocato nomine ipſius.*
Ecce! qvod alibi brevius dicitur: baptizari in nomine Chri-
ſti, id hic evolutius: baptizari invocato nomine Chriſti.
Act. IIX. 36. *Ecce aqva, qvid prohibet me baptizari? Dixit au-*
*tem Philippus: ſi credis ex toto corde, licet. Et juſſit ſtare currum*
*& baptizavit eum.* Ecce! in exemplo exprimitur, qvod bapti-
ſmum præcedere debeat confeſſio Chriſti, ne dubitare qvis ne-
ceſſe haberet, cum dicitur: baptizari in nomine Chriſti, eſſe:
baptizari præcedente confeſſione nominis Chriſti. Qvo ſenſu
& *Ambroſius*, libro de iis, qui initiantur, c. IV. *Tu in gratia*
*baptizatus es in nomine Trinitatis. Confeſſus es Patrem, recor-*
*dare, qvid feceris? Confeſſus es Filium, confeſſus es Spiritum S.* Subit
autem mirari, in qvam ſe abſurditatem dederit vir alioqvin
pereruditus, *Harduinus*, cum loca Actorum explicaturus, §. III.
præfatur: *Pudet, hujus controverſiæ arbitros & judices Gramma-*
*ticos dare ac ſtatuere. Pudet, inqvam, pigetq;, cum Theologi audiamus.*
Qvaſi principes de obortis controverſiis Medicis vel Theolo-
gicis dicere vellent: pudet, pigetqve, hujus litis arbitros judi-
cesq; Medicos vel Theologos dare ac ſtatuere, cum principes
ſimus. Qvis enim de controverſiis Grammaticis & Exege-
ticis, niſi Grammaticus, ex artis ſuæ regulis judicat? Niſi
forte, qvod nunqvam crediderim, putaverit Grammatici mu-
nus tantum eſſe, expendere voces, non conſtructionem & ſen-
ſum. *Qvid Grammaticus profitetur?* inqvit *Lud. Vives. Non*
*ſolum literarum & vocum peritiam; qvamqvam neq; hoc omninò*
*parum, ſed intelligentiam verborum & ſermonis totius, cognitionem*
*antiqvitatis, hiſtoriarum, carminum deniq; omnium veterum ſcri-*
*ptorum interpretationem.* Non pudere neq; pigere nos debet,
ad horum arbitria, in materiâ ad ipſos pertinente, nos demit-
tere

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/57 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

tere; qvemadmodum Imperatorem Rom. neq; pudet neqve piget, in litigio de calceis oborto arbitros ac judices ſutores dare atqve ſtatuere. Nec obeſt, qvod S. literæ peculiari ſint ſtylo conſcriptæ, adeoq; à Grammaticis vulgaribus non poſſint intelligi; intelligentur enim à Grammaticis ſacris, Divino ſtylo adſvetis. Nec etiam qvia ſtylus Scripturæ ſingularis eſt, ideò à communi loqvendi & intelligendi conſvetudine ita abit, ut à nullo Grammatico poſſit penetrari. Ita locutus eſt Spiritus S., ut ſe non tantum voluerit intelligi, ſed ab omnibus, etiam vulgo, intelligi. Forte non erravero, ſi dixero, vellicaſſe *Harduinum* his verbis Theologorum noſtrorum poſt Lutherum principem *D. Mart. Chemnitium*, qvi Grammaticam clavem totius Theologiæ appellitabat, ex cujus neglectu pleræq; hæreſes in Eccleſiam ſint invectæ.

XXIX. Qvi optimam & propemodum certam de ſalute infantum, extra Eccleſiam decedentium, ſpem concipiunt, fruſtra nituntur loco, Jonæ IV, 11. Ubi dicitur Deus tam gratioſo oculo reſpexiſſe Ninivitarum infantes, ut eorum etiam causâ toti urbi pepercerit. Verba enim: *neſciunt diſcrimen inter dextram & ſiniſtram*, totus interpretum chorus, Sanctius, Lorinus, Cornelius, Vatablus, Clarius, Druſius, Liveleus, Grotius, Tarnovius, Qviſtorpius, Glaſſius, Jo. Schmidius, Calovius, Bircherodius & alii innumeri, de infantibus & puellis interpretantur. Nam ut taceam, etiam ipſa jumenta, (ad qvæ ſcilicet, nedum ad homines, ſe extendit miſericordiæ Divinæ abyſſus) Deum reſpexiſſe, infantes Ninivitarum tum non amplius erant gentilium, ſed eorum, qvi ad Deum ſe jam converterant, id eſt, proſelyti ad circumciſionem non adſtricti & Eccleſiæ filii. Qvid verò dicemus de *B. Lutheri* circa hunc locum ſententiâ, qvi deſcriptione iſthac: *neſciunt diſcrimen inter dextram & ſiniſtram*, non infantes ſed totam univerſæ

ſæ urbis multitudinem inſinuari perqvam probabiliter contendit? Verba ſunt in der Außlegung Jonæ, Tom III. Alt. p. 376. Es wäre dann/ daß man es ſo deuten wolt/ daß der Menſchen/ die nicht wüſten/ was recht oder linck wäre/ ſolte ſo viel geweſen ſeyn/ als junge Kinder und Narren. Aber ſolche Deutung halte ich nicht/ ſondern daß ſie allzumahl nicht haben gewußt/ was linck oder recht ſey/ das iſt/ wie wir ſagen/ ſie wuſten weder diß noch daß in Göttlichen Sachen/ als die kein Geſetz Moſi noch Propheten hatten/ welche ſie hätten gelehret/ wie ſie ſolten beyde in geiſtlichen und leiblichen/ in euſſerlichen und innerlichen Dingē für Gott ſich halten/ wie die Juden hatten. Credoq;, nimiam omnium civium multitudinem, ſi ſoli infantes ad eam copiam aſſurgerent, Lutherum ad hanc ſententiam deduxiſſe. Qvâ de cauſâ qvoq; *Luc. Oſiander* & qvidam apud *Lorinum* in Deut. per neſcientes differentiam inter dextram & ſiniſtram intelligunt eos, qvi neſciunt *partim ætate partim ſimplicitate*. Qvamqvam, ut alii cenſent, immeritò. Nam hodieq; Lutetiæ ſunt ſupra 400. millia capitum. Olim Seleuciæ 600. millia, apud Plinium. Thebis Ægyptiis 700000. apud Tacitum. Plura exhibentur exempla apud *Polum*. Ninive autem pleraſq; Europæ urbes civium numero ſuperavit.

XXX. *Hugo Sanfordus*, Coomflorius Anglus, Tractatu de deſcenſu Chriſti ad inferos, qvem ex ſcriniis ejus complevit *Rob. Parkerus*, magno niſu & ſudore defendere conatur: *damnatos in inferno non peccare*. Qvem irritum ſuum laborem inter alia probare nititur ex celebri Apoſtoli loco, Rom. VI. 7. *Qvi mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato*, h. e. ut ille interpretatur: Qvi ſemel mortuus eſt, (ut utiq; damnati mortui ſunt) immunis eſt ab omni peccato. Verum enim verò iſthæc expoſitio neqve verbis Apoſtoli neqve ſcopo congruit. Apoſtolus enim, qvod in verbis immediatè antecedentibus dixerat; *Sci-*

*mus, qvod vetus noſter homo cum ipſo crucifixus eſt, ut corpus peccati deſtruatur*, probaturus, generalem ſententiam proponit: *Qvi mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato.* Concludere itaqve vult hunc in modum: ſi omnis mortuus juſtificatus eſt à peccato, tum & vetus noſter homo crucifixus, adeoqve mortuus, juſtificatus â peccato corpusqve peccati deſtructum eſt. Planè enim perſvaſus ſum, ſi Apoſtolus verba ſua immediatè de mortuo in peccatis ſpiritualiter, ut in ſuperioribus fecerat, intelligi voluiſſet, additurum, ut antea, fuiſſe: ὁ γὰρ ἀποθανὼν τῇ ἁμαρτίᾳ, *moriens peccato.* Id verò cum non fecerit, ſed effatis particularibus univerſalem ſubjecerit, cur univerſaliter non intelligamus? Præcipue cum particularis, ceu ſupra oſtendimus, ex univerſali liqvidiſſime proximeqve conſeqvatur. Eſt autem juſtificari à peccato, juxta ſolennem hujus vocis ſenſum ab iisdem abſolvi. Sumptâ ſc. occaſione & metaphorâ à ſententiis judiciorum capitalium, quibus condemnati ad mortem toleratâ morte, ab omni ulteriori accuſatione delictorum abſolvuntur, nec ulla amplius peccata habere judicantur. Ergo & nos, qvi cum Chriſto mortui ſumus, nulla amplius peccata habere cenſendi ſumus, in nobis ſcilicet regnantia, ſed corpus peccati plane deſtructum eſt. Qvam abſonum verò eſt, ad neganda inferorum peccata hinc concludere? Cur non eadem vi *Sanfordus* concludit: qvi mortuus eſt, omnem vitam amiſit: ergo damnati in inferno non vivunt, ſaltem ſecundum animam? Nempe qvemadmodum mortuus non vivit amplius hujus vitæ vitam, vivit tamen aliam: ita damnati non peccant hujus vitæ peccata, peccant tamen alia.

Qvo pacto David, Pſal. CXV, 17. *non mortui*, ait, *laudabunt te Domine, nec omnes deſcendentes in ſilentium.*

THE-

# THESES
## EX
# THEOLOGIA POLEMICA
## DEPROMTÆ ET EXPOSITÆ.

### I.

Controverſia de genere Theologiæ non ita neceſſaria eſt, qvin, qvæcunqve in Theologiâ traduntur, ſine eâ intelligi poſſint.

II. Theologiam Gentilium puriorem omnium clariſſimè repræſentant aurea *Pythagoræ* carmina, magisqve aureus *Hieroclis* ad illa commentarius, à *Merico Caſaubono* illuſtratus, tantam ubiqve & pietatem & conſcientiæ curam præferens, ut tale qvid in ullo alio Gentilium libro fruſtra qværas, immò in plurimorum Chriſtianorum ſcriptis, Gentilem ſapientiam amantibus, haud deprehendas; atqve hanc ipſam ob cauſam auro contra habendus. Qvem ſæpiſſime admiratus ſum, in plurimorum ſcriptis, qvi de pietate, qvâ illa ex naturæ principiis cognoſcitur, vel etiam de viribus humanis, in rerum Divinarum notitia poſt lapſum reliqvis, egerunt, vel nunqvam adductum, vel rarò conſpici. Cui tamen eò majorem adhiberi fidem par eſt, qvod qvæcunqve tradit, non ex traditione priſcorum vel Judæorum, vel Chriſtianorum, ſed ex ſolo naturæ lumine acceperit, qvia, ſi *Euſebio* fides, juratus Chriſtianorum hoſtis & ſævus perſecutor fuit. De eo in Prolegomenis *Pearſonus*: *commentarius in aurea Pythagoræ carmina opus nunquam ſatis laudatum. Neqve enim carmina iſta tantum interpretari aut Grammaticorum inſtar ſcholia conficere in animo habuit, ſed omnia Pythagoricæ diſciplinæ lineamenta brevi qvaſi tabula depingere.* Mericus Caſaubonus in Notarum Præfatione: *Dogmata, quæ ad Chriſtianæ doctrinæ puritatem & ſanctitatem*

*ſanctitatem, qvantum ab homine non Chriſtiano ſperare fas eſt, proximè accedunt. Vir ſanè ſummus ac incomparabilis, Hugo Grotius, in qvo raro exemplo cum judicio certabat ingenium, cum utroq; qvæ naturæ bona, multo uſu ſtudioqve parta inſignis eruditio; adeo vir ille ſummus inſigne hoc Hieroclis ſcriptum in ſuccum ſangvinemqve jugi lectione totum converterat, ut crebrioribus ex nullo auctore teſtimoniis ſua ſcripta, poſteriora præcipuè, tanqvam totidem pretioſi metalli cruſtis & emblematibus diſtinxerit.* Omnium præclariſſimè *Joannes Curterius*, aureorum interpres, in Dedicatione: *Hoc doctorum multorum judicio, qvibus hoc aureorum ſcriptum videre contigit, affirmare non vereor, nullum profani nominis auctorem, luce donatum adhuc, qvod ſciam, qvi tam multa de moribus, de providentiâ, ſimilibusq; rebus, more noſtro, id eſt, Chriſtiano, hoſtis alioqvi nominis hujus acerrimus, tam bene tamqve apertè diſſeruerit. Immò non ſine Divinâ providentiâ effectum arbitror, ut infelici noſtro ſeculo, in qvo poſt oppugnatam veræ religionis atq; morum diſciplinam Deus ipſe à multis non obſcurè petitur, libellus iſte in lucem prodiret, qvi philoſophicis rationibus ab illis id extorqveret, (niſi hominis naturam planè exuerint) qvod Divini verbi autoritas perſvadere non potuit.*

III. Cum alicubi lego: *non poteſt aliqva cœleſtem veritatem agnoſcendi eſſe via ſine pietate*, inde concludo: neminem converti poſſe à tenebris ad lucem, ab erroribus ad veritatem, priusqvam ſit pius, pietate verâ & ſpirituali, qvam locutionis auctor intelligit; & ècontra pium aliqvem eadem pietate eſſe poſſe, etiamſi veritatem nondum cognoſcat, ſed adhuc in tenebris & erroribus verſetur; qvo pacto ſanctificatio voluntatis prior erit illuminatione intellectus, qvod abſurdum. Cæterum pietatem illam veram viam eſſe ad profectum, incrementum & firmitudinem in veritate, non negatur. Nempe planè contrarium aſſeverandum eſt: *non poteſt aliqva eſſe ad veram pietatem via ſine cœleſtis veritatis agnitione.* Præcedit neceſſariò

ceſſariò operatio intellectus, ejusqve notitia, ſeqvitur voluntatis praxis, ejusqve pietas. Qvod tamen dum aſſerimus, non id nos velle putandum eſt, qvod religionem Chriſtianam, in omnibus ſingulisqve fidei articulis & veritatibus conſideratam, primò cognoſcere oporteat, anteqvam ad praxin te conferas, ſeu, ut vulgò dici ſolet, anteqvam pietati ſtudere incipias. Qvamqvam enim hodie neminem in Chriſtianorum numerum publicâ qvadam ſolemnitate recipimus, ſeu, ut ex more noſtro loqvamur, neminem catechumenorum ad primam SS. Euchariſtiæ communionem admittimus, qvâ tanqvam publico teſtimonio nomen ſuum Chriſtianiſmo profiteatur, niſi qui omnium neceſſariorum fidei dogmatum habeat notitiam, qviq; errores vulgò notos rejiciat & condemnet, id tamen non inde provenit, quod ante publicam hanc profeſſionẽ, nulli pietatis exercitio operam dederit, aut dare vel potuerit vel debuerit, ſed qvod perfectum Chriſtianum non agnoſcamus, niſi ſuppoſitâ perfectâ cognitione. Qvemadmodum in mechanicis artificiis nemo pro artifice, qvem vulgò magiſtrum, vel pro maturo diſcipulo, qvem communiter ſocium vel miniſtrum vocamus, aut recipitur aut reputatur, niſi qui ſufficientem pro iſto artificio gradu habeat notitiam, qvamquam antea & ſcire varia & ſecundum ſcientiam illam varia agere debuerit. Senſus igitur aſſertionis noſtræ hic eſt: notitiam, praxi præviam, ſemper dirigere praxin in qvibuslibet praxeos partibus, neqve quicqvam in pietatis negotio agi poſſe, niſi primò ſciatur, qvid ſit id, quod agendum eſt, neqve etiam rectè agi poſſe, niſi noveris, qvomodo id, qvod agendum eſt, ſit agendum. Qvamquam omnes ſcientiæ particulas & gradus è veſtigio ſubſequi debeat actio ſeu praxis. Exempli gratiâ: non poſſum amare Deum, vel eundem colere, vel quidpiam ab ipſo petere, niſi primò ſciam eſſe Deum, eundemq; eſſe omnium rerum Dominum, qvi timeri debeat, ne exitio me

 devoveat,

devoveat, & amari, ut mihi benefaciat. Hac igitur ſcientiâ ſuppoſitâ & antegrediente, ſtatim ſubſequitur aliqua praxis voluntatis, quæ in timendo & amando conſiſtit. Porro quia hæc amoris & timoris praxis, ſi Deum tantum reſpiciat ut dominum noſtrum juſtum & benignum, eidem grata eſſe non poteſt, niſi ſimul Deum venerer, ut per Filium ſuum mihi reconciliatum, itaque jam ulteriori mihi notitiâ opus eſt, ut ſciam, Deum habere Filium, qui mei causâ homo factus à peccato me & æternâ damnatione redemerit, reddideritq; eundem mihi gratioſum. Hac igitur præeunte, praxis ſequitur magis determinata, Deoq; magis grata, qvâ DEUM in Chriſto colo. Cumq; & hic Dei cultus ἄλογος eſſet, vereq; brutus, niſi ſcirem, cur Deus extra Filium coli nollet, peccati à me indoles & æternæ damnationis meritum, incarnatio item Filii Dei & paſſio neceſſariò cognoſcenda eſt. Qvâ præeunte mentiqve meæ infixâ jam & verius Deum amo & ardentius, eoqve modo, qvi voluntati DEI revelatæ magis congruat. Nec amandus tantum & timendus eſt Deus, ſed diſpiciendum qvoqve mihi eſt, quo pacto, corporis vinculo ſolutus, æternæ beatitudinis particeps reddar. Id cum nullo fiat operum meorum merito, ſed ſolâ in Servatorem meum fiducia, fidei denuo notitia fiduciæ praxin præcedit & cum fides per pietatis opera ſit demonſtranda, neque verò quodcunqve opus DEO placeat, quod ex nudo hominis arbitrio procedit, neceſſe eſt, ut notitia veræ pietatis verorumq; operum præcedat, qvâ illa ad Divinæ legis regulam redigantur. Ne hujus fidei & pietatis jacturam faciam & æterno exitio involvar, præſidiorum notitiâ opus eſt, qvæ me in fide conſervent & adverſus lapſum præmuniant; quorum & in ſacramentis & in locupletiſſimo verbi Divini penu magna nobis copia revelata eſt. Talis connexio & in reliqvis Chriſtianiſmi partibus oſtendi facile poſſet, ſi prolixioribus eſſe liberet. Ex qvo clariſſimè patet, quamquam non

neceſſe

neceſſe ſit, omnem articulorum fidei notitiam, collectivè acceptam, neceſſario quamcunq; Chriſtianiſmi praxin antecedere, tamen qvousq; creſcit praxis, ſive quoad extenſionem, ſive qvoad intenſionem, eousqve ſemper in illis extenſionis & intenſionis partibus etiam antecedere notitiam uberiorem, quæ extenſionem illam & intenſionem promoveat & ſine qvâ notitiâ praxeos Chriſtianæ extenſio & intenſio promoveri non poſſit. Qvod adeò verum eſt, ut ſi qvæcunq; foret pietatis praxis, ſive qvoad initium ſuum, ſive qvoad progreſſum, ſive quoad perfectum complementum, quæ ex prævià ex verbo notitiâ ortum non haberet, ea vel aperte foret Fanatica & ex Spiritu privato profecta, vel ad illud certè pietatis genus referenda, qvod ἐθελοθρησκείας nomine infamat Apoſtolus. Neq; excipi poteſt, praxin illam primam, quæ ultimum converſionis & fidei momentum antecedit, veræ pietatis nomine venire non poſſe, cum quicquid ex fide non eſt, docente Apoſtolo ſit peccatum, atq; adeò veram pietatem nonniſi ſufficienti & perfectæ notitiæ inniti. Sufficiens enim aliquid dicitur vel ratione principii, vel ratione profectus, vel ratione ſtatus in ſuo genere perfecti. Ad id, ut ametur Deus præcisè, ſufficit, me ſcire, Deum eſſe & velle à me coli. Quod utrumque ratione primi Chriſtianiſmi principii ſeu tyrocinii ſufficit. Non ſufficit autem ad praxeos profectum, ad quem, ceu ſupra oſtenſum & prævius notitiæ profectus reqviritur, in cognitione Divinarum perſonarum, conſiliorum, operum conſiſtens. Qvæ ſcientia pro iſto quidem ſtatu homini Chriſtiano ſufficiens eſt, quæ tamen in eodem non ſubſiſtere, ſed ulterius tendere debet, donec ad maturam hujus vitæ perfectionem deveniat, de quâ gradatione loqvitur Apoſtolus Hebr. V. 14. & c. VI. 1. Planè quemadmodum tyroni in artificio mechanico qvaliscunq; notitia ſufficit ad agendum id, quod pro primo captu ipſi agendum eſt, ut qvo altius adſcendit notitia, eo & perfectior reddatur

praxis

praxis, quo ſimili perqvam accommodè in præfatione Catecheſeos majoris utitur B. *Lutherus*. Ut autem opus artificis niſi ex perfecto habitu procedat, perfectam complacentiam haud generat, placet tamen interea pro modulo ſtatus ſui, vel in principio artis vel in incremento conſtituti, ita ut & initium & profectus & complementum ex arte nihilominus proficiſcantur: ita planè pietas, in completo ſuo eſſe conſiderata ſine fide actu in homine exiſtente DEO non placet, eatenus, ut æternis eandem præmiis remuneret, placet tamen & initium pietatis & progreſſus in pietate, idqve, ſive ſeqvatur complementum, ſive non ſeqvatur, eatenus, qvatenus utrumqve ad pietatem perfecte efficiendam tendit, ut nihilominus & initium pietatis & profectus ex regulis veræ pietatis, gratiâ Divinâ ſupernaturali, oriatur. Summa dictorum eſt, omnis praxeos Chriſtianæ fundamentum eſſe notitiam, ſimplicis praxeos ſimplicem notitiam, perfectioris perfectiorem, perfectiſſimæ perfectiſſimam.

IV. Cum qvis ita argumentatur: veritas Divina de legitimo DEI cultu præſtando reddit certos; ergo pietatem comitem habet individuam, ut fecit is, qvi ſcripſit *Theologiam piam unicè veram*, perinde facit, ac cum qvis ita colligit: mandatum Principis de voluntate ipſius certos reddit: ergo obedienitam comitem habet individuam. Ergo nemo mandatis Principis inobſeqvens eſt.

V. Cum *P. D. Huetius*, vir longe doctiſſimus, in præfatione Libri de Demonſtratione Evangelica, profitetur: *probari poſſe religionis Chriſtianæ & Scripturarum veritatem eo genere demonſtrationis, qvod non minus certum ſit, qvam demonſtrationes ipſæ Geometricæ*, illudqve §. III. exponit: poſſe religionis Chriſtianæ veritatem *demonſtrari ex iis principiis moralibus, qvibus fidem experientia magiſtra conciliat, qvæqve nemine contradicente, ac tritiſſimo pervulgatiſſimoq; omnium uſu & conſenſu*

*recepta*

*recepta ſint*, ( qvæ nempe ſunt principia rationis, qvalia etiam pleraqve ſunt, qvæ in opere ipſo adducit, ) ultrò conſeqvitur, criteria illa, ex qvibus tantum demonſtrationis robur promanat, certitudinem gignere indubitatam, nec intellectum qvicqvam cauſæ habere, qvo minus fidem ſuam eidem adponat. Enimverò, qvomodo cum hac *Huetii* aſſertione conciliabis, qvando §. ſtatim ſeqvente IV. ubi cum his criteriis *gratiam Chriſti, cujus ſolius ope fidem eam conſequimur, ſine quâ placere Deo non poſſumus*, componit, non veretur aſſerere: *viam ſenſuum ac rationis, per qvam in animos noſtros illabitur cognitio rerum, obſcuram eſſe, ancipitem, fallacem, ad veri notitiam malefidam & intutam, infinitis obſeptam Philoſophorum tricis & qvæſtionibus*? Qvid eſt deſtruere, qvæ ante poſueras, ſi hoc non eſt? Qvid enim? Demonſtrationes Geometricas eſſe obſcuras, ancipites, fallaces, malefidas, intutas? Qvæ ſingula Geometricis demonſtrationibus in adjecto contradicunt. Itane anceps eſt, utrum æqvalibus, ſi addideris æqvalia, æqvalia iterum fiant? Itane obſcurum eſt, bis duo eſſe qvatuor? Itane fallax eſt, Romam aliqvam in mundo eſſe; cui rei fidem experientia magiſtra conciliat? Itane ad veri notitiam malefidum & intutum eſt primum omnium rerum principium: impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe; principia item moralia: DEUM eſſe colendum, honeſtè vivendum & ſuum cuiqve tribuendum eſſe; qvæ nemine contradicente & tritiſſimo pervulgatiſſimoqve omnium uſu & conſenſu recepta ſunt? Nempe lumen majus obſcurat qvidem minus, non tamen tollit penitus & deſtruit. Criteria illa, qvæ pro comprobanda Scripturarum ſacrarum Divinitate à Theologis paſſim adducuntur, qvamqvam nonnulla ultra probabilitatis ſphæram non adſcendant, utpote, qvæ à ſtyli cum proprietate tum ſimplicitate deſumuntur, ea tamen, qvæ ab antiqvitate librorum Divinorum, à perpetuâ tot

librorum conſenſione, à prophetiarum, eventui ſuo exactè reſpondentium, veritate, aqve ſanctitate morum, in iisdem commendatâ, planè ſingulari & incomparabili, deſumuntur, eo robore gaudent, ut & hominis gentilis animum convincere apta nata ſint, nec illi inveniant, qvid tanto argumentorum robori opponant. Quæ verò ideò, qvia inſitus ipſi Scripturæ Spiritus & virtus, qvam Theologi vocant, vorticordia, in ipſa lectione & per lectionem hominem de Divinitate ejus convincens, certitudinem non humanam tantum, ſed planè Divinam & irrefragabilem efficit, certitudine, qvalis in humanis ſumma eſt & apodictica vulgò vocatur, neqvaqvam deſtituuntur, multò minus in claſſem argumentorum obſcurorum, dubiorum & fallacium illa debent reponi.

VI. Sententia *Samuelis Bohlii*, admirandæ de cætero induſtriæ in hac Academiâ qvondam doctoris, qvæ ut nomina, membra humani corporis de DEO enunciantia, de eodem propriè enunciare poſſet, abſtractum ab omnibus nominum exemplis conceptum, eumqve ita univerſalem, ut omnibus in proprietate aptari poſſet, ſubtili invento formavit, vocis originem Grammaticam cum uſu recepto confundit. Nec enim nomina id propriè ſignificant, qvod ab omnibus conceptibus particularibus abſtrahitur, ſed qvod uſu iisdem imponitur. Verba enim valent ſicut nummi.

VII. Nihil pervulgatum magis, etiam in Theologiæ compendiis, eſt, qvam dicere: Patri in Divinis appropriari creationem, Filio redemptionem, Spiritui S. ſanctificationem. Et qvidem, ut res hæc rectius intelligatur, ſciendum eſt, ob duplicem rationem aliquid perſonæ alicui appropriari. Primò ob unionem; qvo pacto qvidem Patri vox in Jordane è cœlo delapſa, non verò creatio, & Spiritui S. ſpecies columbæ, non ſanctificatio, appropriatur. Deinde ob perſonalem ordinem. Qvod tamen ipſum duplici denuò modo fieri videmus. Primò ut

ut ordo Perſonalis internus in externum opus qvaſi profluat, cumq́ eo ſanctâ qvadam copulatione uniatur. Utpote cum dicitur Pater à ſe, Filius à Patre & Spiritus S. à Patre Filioq́ agere & creare. *Nec* enim *Filius à ſe facit qvicqvam*, Joh. V. 19. 30. *Nec Spiritus S. à ſe loqvitur qvicqvam*, Joh. XVI. 13. *Pater autem per Filium ſecula fecit*, Hebr. I. 2. Qvia enim ad intra Pater à ſe eſt, à Patre verò reliqvæ perſonæ progrediuntur, itaq; & in externo opere perficiendo Pater à ſe agit, Filius à Patre, Spiritus S. ab utroq́. Qvo pacto interna proprietas in externo opere ſeſe qvoad rem ipſam, non tamen qvoad ſpecialem ſui rationem, utpote generationis & ſpirationis, (quod Scripturæ uſus non permittit) ſed quoad generalem deſcenſus perſonarum ab invicem notionem, prodit & manifeſtat. Deinde hæc appropriatio alio modo fit, cum non ipſa interna proprietas ad extra progreditur, ſed qvando ex externo opere interna proprietas, tanqvam ex ſpeculo, ut loquitur *Menzerus*, eluceſcit, id eſt, in externo opere ſimile aliqvid internæ proprietati conſpicitur. De hac appropriationis ſpecie cum qværitur: cur Patri approprietur creatio? vulgo reſponderi videmus: quia Deus Pater in creationis opere ſe potiſſimum manifeſtavit. Atq́ ita de cæteris perſonis & operibus, ipſis appropriatis. Qvod ut de redemptione verum eſt, ratione unionis, qvia Filius Dei ſibi carnem univit, inqve eâ ſeſe manifeſtando, agendo, patiendoq́ genus humanum redemit: ita velim mihi exponi, qvomodo itaq́ Pater in creationis opere ſe manifeſtaverit? An perſonam ſuam in corpore aſſumpto ad extra ſiſtendo? Id verò hiſtoriæ repugnat. An quod freqventius Patri creatio, quam vel Filio vel Spiritui S. in Scripturis attribuatur? Tum dubium per æq́ dubium ſolvitur; qværetur enim illico: cur Patri freqventius qvam cæteris tribuatur creatio? Et ſponſione ferè certare auſim, plura in Sacris loca eſſe, ubi Filio creatio qvam Patri adſcribatur. Qvare ad ipſius potius operis appro-

priati cum proprietate perſonali Patris convenientiam, qvam ad alia quælibet reſpiciendum eſſe videtur. Ut enim creatio primum omnium operum Divinorum eſt, quod nullum aliud antecedere poteſt, redemptio ſecundum, cum redimi nihil poſſit, niſi fuerit ante creatum; ſanctificatio tertium, cum id ſanctificetur, quod non creatum tantum antea, ſed & redemptum eſt: ita hæc ipſa ordinis ratio & in perſonis Divinis occurrit, dum primum opus primæ perſonæ, ſecundum ſecundæ, tertium tertiæ appropriatur; atq; adeò opera illa ad extra ſunt qvaſi ſpeculum ordinis, intra perſonas Divinas obtinentis. Videatur Tomus IX. Diſpp. Gieſſ. Diſp. XIIX. p. 1001. ſ.

IIX. Qvamqvam in utramq; partem inter Theologos pariter & Philoſophos diſputetur: utrum mundus creari potuerit ab æterno? negativa tamen & verior citra dubium eſt & tutior. Qvod enim ab æterno eſt, id eſt æternum, neq; ſana ratio inter hæc duo ullam deprehendere poteſt, qvantumlibet intenſis omnibus ingenii nervis, differentiam. Si verò creatura vel æterna vel ab æterno eſſe poteſt, invalidum eſt argumentum, qvod pro Divinitate Filii Dei ex æternitate ejusdem hactenus adverſus Arianos deduxerunt conſenſu qvodam Theologi noſtri. Nec tutabitur illos diſtinctio inter id, qvod ab æterno eſt per dependentiam & qvod æternum eſt independenter. Æternitas enim dependens verè σιδηρόξυλον eſt. Aut enim qvod dependenter ab æterno eſt, aliqvando nihil fuit, aut non fuit. Si non fuit; ergo nec creatum erit, cum creatio ſit productio rei ex nihilo. Si aliqvando nihil fuit; & tamen fuit ab æterno, tum eâdem conſeqventiâ aliqvid durare poterit in æternum & tamen recidere in nihilum. Qvod eſt contradictorium. Colligendi vis adeò manifeſta eſt, ut aſſenſum, quamprimum auditur, mereatur.

IX. Perquam abſurdè olim Epicuræi, qviqve hodie in Galliâ eorundem doctrinam amplectuntur, Deiſtæ providentiam

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/70 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

tiam Divinam ideò negant, qvia ea conſiſtere neqveat cum illâ rerum in hoc mundo confuſione, qvâ ſæpe ſurſum omnia deorſumque verti videntur, neq; tamen â Deo, licet centies invocato, in ordinem rediguntur. Cum Deum Deum ordinis eſſe extra dubitationem ſit collocatum. An enim in regno ſuo Rex ordinem non amat, quia aliquando neceſſe eſt, ut quietem & pacem publicam nonniſi per confuſiſſimos armorum conflictus & hominum commiſtiones obtineat? Anne contempti ordinis damnandus eſt coqvus, ſi absq; confuſione plurimarum herbarum carniumq; pretioſum juſculum conficere non poteſt? Aut pharmacopœus, ſi ad conficiendam theriacã non herbas tantum & fructus & flores & radices & aromata & gummi & ſemina & vina & ſuccos & olea & mella & ligna & infinita talia, ſed ipſas de venenatâ maledictaq; viperâ carnes, in ollam unam confundit, donec hæc omnia vi ignis probe macerata & quaſi conſumpta in unam ordinatiſſimam ſaluberrimamq; medicinam coagulentur? Nec DEUS, ut ordinis Deus ſit, neceſſe habet, ut imploratus confuſioni ſtatim & è veſtigio obicem ponat, quia nec pater degenerem filium, quem domo ejecit, ſine morâ recipit in gratiam, quantumvis centies à filio rogatus, ſed illud tempus expectat, quo certioribus indiciis pœnitentiam filii exploraverit.

X. Angeli non ſunt miniſtri hominum, multò minus ſervi. Nec enim ſuperior ſervit minori. Eſt hæc prærogativa Servatoris noſtri, cui volenti angeli, tanquam hero ſuo, ad nutum adeſſe, eiq; διακονεῖν ſive *ſervire* tenentur, Matth. IV. 11. Quam excellentiam longo ordine exequitur Apoſtolus, principio epiſtolæ ad Hebræos; ubi cum angelos λειτουργικὰ πνεύματα, *miniſtratorios ſpiritus* vocat, ſtatim adjicit, cui miniſtrent, ei nempe, à qvo mittuntur, qui non eſt alius, niſi ipſe Chriſtus, cujus in toto capite nobilitates recenſentur. Mittuntur autem εἰς διακονίαν διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν, *in miniſterium*

*propter eos, qvi hæreditaturi ſunt ſalutem.* Non dicit: εἰς διακονίαν τῶν μελλόντων, *in miniſterium eorum, qvi ſalutis erunt hæredes;* ita enim hominum miniſtri fierent; ſed εἰς διακονίαν διὰ τοὺς μέλλοντας, *in miniſterium propter hæredes ſalutis.* Ad eum modum, qvo Princeps præfectos ſuos ad ſubditos mittit, ſibi, non ipſis miniſtraturos, in rebus tamen, ſubditorum ſalutem attinentibus. Deniq; non dicit: in miniſterium, cujus vi aſſociare ſe electis, eosdemq; cuſtodire debeant, ſed propter electos, quod generalius eſt. Nam & ad Reges, principesq; ſæpe impios, mittuntur angeli, non ipſorum, ſed piorum cauſa, ut ſub eorum regimine tutam ſecuramq; agere vitam poſſint, Dan. IX. 13. Quamquam verò infinitas homini utilitates juſſu Dei præſtent; duces noſtri ſunt, præcedunt nos, comitantur, inſeqvuntur. Nunquam à latere noſtro recedunt. Omnem inceſſum noſtrum paſſusq; ſingulos ad numerum revocant. Dum in utramvis aurem ſtertimus, corpora noſtra, ne damnum capiant, protegunt. Ne in vitæ diſcrimen incidamus, ſedulò cavent. Ut ex periculis liberemur, ſtudioſè procurant. In noſtrorum funeribus lacrymas nobis abſtergunt. In pectoris anguſtiis ſolatiis nos erigunt. In præliis nobiſcum dimicant. In caſtris adverſus hoſtem præſidio nos circumvallant. Diaboli inſidias procul à nobis arcent. Contra mundi machinas auxilio nos muniunt. De pœnitentiâ noſtra intimâ animi lætitiâ afficiuntur. Animam ê corporis ergaſtulo egreſſam in Abrahæ ſinum deportant. Tot nempe miniſteriis ſervitiisq; nos ſibi obſtringunt. Per univerſa tamen iſta non magis miniſtri ſerviq; hominum efficiuntur, qvam Reges & Principes ſubditorum ſuorum, quorum uſibus univerſum illorum officium, imò toti militum exercitus inſerviunt.

XI. Pura naturalia, ſi vel fingantur tantum exiſtere poſſe, in DEUM tamen peccati & imperfectionis culpabilis cauſalitatem neceſſariò refundunt. Qvid enim, ſi Deus, quod



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/72 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

utiq; ſecundum iſtos aſſertores poterat, hominem in eo ſtatu conderet? Hominem conderet per ſe imperfectum, qui actus cognitionis & appetitionis recti & boni commodè exercere non poſſet, ſed vel cœci inſtar miſerè frequenter impingeret, vel vincente in luctâ appetitu in varia peccata ſceleraq; prolaberetur. At impoſſibile eſt, DEUM in creando intendere naturam rationalem perfectam, (cum Deus & natura ſemper intendant id, qvod in quolibet genere optimum eſt, nec vi naturæ ſuæ, optimæ perfectiſſimæq;, aliter poſſint) ſine labe, ſine defectu, utq; finem ſuum conſeqvatur, ex abſolutâ potentiâ, cui nihil reſiſtere poteſt, agere, & tamen fine ſuo deſtitui. Dic verò, in ſtatu iſto homini nullam poſitam fuiſſe legem, adeoq; imperfectionem inde ortam, perinde ut in beſtiis, omni caruiſſe culpâ, ita abſurdum abſurdo cumulabis. Non enim ſtatus aliqvis ſine ullâ urgente ratione excogitandus eſt, & ut eundem tueri qveas, paradoxa alia comminiſcenda ſunt, isq; ſtatus lege exuendus eſt, ſed utrumq; firmis argumentis oſtendendum. Qvid vero? Anne dices hominem in aliqvo ſtatu legem non habuiſſe? Qvæ itaq; illa lex eſt, *qvam Deus inſcripſit in cordibus, etiam gentilium*? Rom. II.15. *Qvi ideò ſibimetipſis lex ſunt*, verſ. 14. Aut naturâ careat homo, in puris naturalibus conſtitutus, qvod in terminis abſurdum, aut legem habeat oportet. Sed conſideremus hæc, qvia non ab omnibus accuratè expenduntur, paulò ſolidius. Si vel maximè ab Apoſtolo totidem ferè verbis non edoceremur: legi ſubjectam eſſe omnem creaturam rationalem, qvocunq; ille in ſtatu conſideretur, res tamen ipſa & ſana ratio hanc nobis veritatis confeſſionem ſine dubio extorqveret. Hominem enim in puris naturalibus conſtitutum ratione præditum fuiſſe, honeſta intelligente & ſvadente, fatentur omnes, & ſi diffiterentur, hominem eſſe eadem operâ negarent. Quod enim iſtud eſt animal, quod quid bonum ſit, quid malum, quid virtutis, quid

vitii

vitii nomine veniat, qvid appetendum, qvid fugiendum, quid fas ſit amplecti, qvid æqvum averſari, ignoret? Beſtia profectò, non homo. Noverat igitur homo ille purus, honeſta ipſi ſectanda eſſe, turpia verò vitanda. Et ſi incognitum hoc ei naturâ fuiſſet, doceri hoc ratiocinando colligendoq́, ſiqvidem rationalis fuit & facultatem habuit unum ex altero eliciendi, (quod de intima rationis eſſentia eſt) hunc in modum potuiſſet: creavit me ſupremum Numen, quod eſt beneficium tam immenſum infinitumq́, quam immenſæ infinitæqve potentiæ eſt, facere, ut ex nihilo fierem aliquid. Nec verò me DEUS fecit, ut eſſem res inanimis, verum ut animâ gauderem, nec animâ qvalicunq;, ſed ut animâ intelligente & volente cætera animalia, tanquam novo & inæſtimabili beneficio, ſuperarem. Qvot hæc beneficia ſunt, tot ſunt vincula, qvibus creatori meo obſtringor. Sicut igitur ille infinitam in me ornandum potentiam impendit: ita ego infinitum ei, ſi fieri poſſet, amorem honoremq; debeo. Nihil in animâ, nihil in pectore, nihil in omnibus viribus animæ corporisq; eſſe poſſe aut debere ſentio, quod non obſequio illius devoveri deſtinariq; par ſit. Nihil in appetitu, nihil in intellectu, nihil in voluntate meâ inveniri poſſe aut debere agnoſco, qvod obedientiæ ejus ſe ſubtrahat, qvod contra benefactorem tam benignum rebellet, quod amori & honori in illum meo, ſive directo conſilio ſive obliquo artificio, adverſetur. Aut certè irrationalis fuerit homo in purâ naturâ, aut imperfectæ in eſſentialibus naturæ, (qualem à DEO creari contradictionem implicat) aut ita vi rationis ratiocinatus fuerit oportet. Jam verò hæc talia quid faciunt niſi legem naturalem, quæ eſt dictatum rectæ rationis de faciendis & omittendis, & ſi omiſeris, aut contra feceris, peccatum adverſus eandem? Certè ne concipi quidem poteſt, quomodo cognoſcere quis bonum & obligatione teneri ad faciendum illud poſſit, & tamen non peccet,

peccet, cum victus ab inferiori potentiâ contra bonum rebellat: verbi cauſâ cum homo puræ naturæ illectus dulcedine vini contra judicium rationis ſuperioris, hoc nefas diſſvadentis, mero ſe & falerno intemperanter ingurgitat, acremq; exinde furorem contrahit, ut proximum convitiis proſcindat, deniq; in illum irruat, eundemq; tollat è medio; aut Deum ipſum, qui tam fragilem ei naturam indidit, maledictionibus & blaſphemiis dilaceret. Hæc nempe tam nefanda flagitia juxta te, Naturaliſta, vitia non erunt, ſed naturæ langvores; aut tu mihi deniq; expone, qvid rationis habeat homo tuus & qvomodo eandem ſine recognitione debiti & officii & legis alicujus ratiocinando exerceat. Qvanto verius deniq; & ſanctitati Dei convenientius eſt, credere, primum hominem aliter condi non potuiſſe, niſi in exactâ facultatum omnium συμμετρίᾳ & naturali harmoniâ? Nam & potuiſſe hoc Deum, impius ſit, qui dubitet, & voluiſſe, ſapientia ejus & bonitas, ne de argumentis aliis qvidqvam dicamus, abunde nobis teſtatum reddunt. Qvid igitur me cogit, inimicam quandam concupiſcentiarum ἀταξίαν & inordinatam σύῤῥαξιν menti meæ imprimere, ſacrarum literarum luce deſtitutæ, cum poſſim pulcerrimam affectuum omnium & cupiditatum amicitiam & convenientiam? Inprimis cum qvicqvid peccaminoſæ contentionis & inteſtini belli naturæ noſtræ hodie hæret, id uni lapſui, non naturæ inſtitutæ, neque naturæ conditori, ubiq; imputet Scriptura.

XII. Memorabile planè eſt in eâ Academiâ, quæ præ cæteris omnibus & Ariſtoteli preſſè ſemper adhæſit & doctores Ariſtotelicæ Philoſophiæ habuit omnino incomparabiles, (quod eqvidem me judice immortali illi ſcholæ gloriæ eſt) *Jo. Conradum Dürrium*, virum, dum viveret, exacti judicii & ſolidæ eruditionis, ſententiam de immediatâ animarum creatione, cui ab illâ usqve ætate, qvâ nomen ſuum inter

θηρευτὰς τῆς ἀληθείας eſt profeſſus, illectus auctoritate eorum virorum, qvi hanc doctrinam perpetuâ qvaſi ſucceſſione in illâ Academiâ tradiderunt, qvosq; ipſe pro ſapientiæ oraculis habebat, tam firmiter adhæſit, ut contra ſentientem ne qvidem audire ſuſtineret, tamen in ſenili ætate mutaſſe; qvo tempore nempe, ut ipſe ait, juxta Platonis Ariſtotelisq; dictum animi virtus efflore ſcat, cum corporis vigor defloreſcere incipiat. Fecit id Epiſtolâ ad *Sim. Bornmeiſterum* datâ, ab eodemq; Anno MDCLXXIV. in lucem edita. Cujus nos argumentum, qvia in omnium manibus illa non eſt, hic repræſentabimus. Dicit itaq; ſi animæ humanæ hodie demum aptatis corporibus, ſuis qvæq; temporibus creatæ à Deo, intrudantur, tum id Philoſopho probandum eſſe vel ſenſibus vel ratione. At è ſenſibus ne qvidem remotè & ex effectu ullum eſſe omnium conſenſu creationis indicium. Si dicas, id patere ex ratione, cavendum primò eſſe, ne incidas in cavillum Ariſtotelis, *qvi abſurdũ eſſe dicat, petere rationem, in ſenſu non fundatam.* Deinde ſi colligas: anima immortalis eſt & immaterialis; ergo creatur: tũ ſe potius concludere: ergo producitur ad modũ producibilitati naturæ ſuæ ſpirituali reſpondentẽ, nempe nõ educi ex potentiâ materiæ, qvalitatibꝰ materialibꝰ inſtructæ, formas è gremio qvaſi ſuo abſorbere ſolitæ, functiones etiam non alias formis ſuis materialibus concedentis, qvam qvæ craſſitiei ſuæ materiali ſunt immerſæ. Ab his conditionibus ſervilibus omnibus animam eſſe immunem. Si dixeris, contradictoria eſſe: omnis ſubſtantia vel creatur vel generatur, tũ ſe, (ob ambiguitatẽ vocis generandi) potius dicere: omnis ſubſtantia aut producitur ex ſubjecto, aut nõ ex ſubjecto. *A*nimã verò produci ex ſubjecto. Hui inqvies, ergo eſt corruptibilis? At reſpondet: ne cœlum qvidem eſt corruptibile, cum tamen ex ſubjectâ, eaq; craſſiore certè qvantitate præditâ, materiâ conſtet. Deinde *per ſubjectum*, ait, *non intelligo illud primum ſubjectum, receptivum formarũ*

*materialium & generationis & corruptionis, ſed ſubſtantiam incompletam, quæ naturæ ſuæ fœcunditate, à primo creatore inditâ id habet, ut à compoſito, cujus eſt ἐντελέχεια, adhibita & applicata ad ἐνέργειαν, poſitis omnibus ad generandum reqviſitis, producat animam in ſpecie ſibi ſimilem, puta ſpiritualem, juxta cum cæteris ſive facultatibus, ſive animabus, animam vegetativam & ſenſitivam modo cauſandi formæ proprio producentibus.* Atqve hoc eſſe Ariſtoteli θύραθεν accedere, (qvod nempe argumentum ex Ariſtotele pro immediata animæ creatione Ariſtotelici vehementer urſerunt, *Dannhawerus*, cùm qvid reſponderet, ignoraret, adverſari ſibimet Ariſtotelē pronunciavit, Id. B. D. p. 121. & p. 191.) *extrinſecus*, id eſt, non è potentiâ craſſæ materiæ; qvamquam ſpecialem generationis animæ modum nunquam expreſſerit, cum hunc illi morem fuiſſe ſciamus, ut in iis, quibus ſenſus fides illum deſtituebat, non temerè quid aut affirmaret, aut negaret. Jam olim ſummum Philoſophum, *Corn. Martini*, poſſibilitatem ſaltem, qvâ poſſit ſubſtantia immaterialis ab immateriali produci, conceſſiſſe, quamquam immeritò à curioſulis irriſum. *Ego verò*, concludit Dürrius, *malim talem aliqvam poſſibilitatem concedere, quam creationem animæ admittere, cujus nec tantillum veſtigium vel vola in naturâ apparet. Immo potius ratio nullo principio nullo effectu inducitur, ut ſtatuere debeat, homini cœlitus eſſe expectandam alteram ſui partem, idq; quotidie per creationem, qvam natura dudum inſtituta & tam diu conſervata prorſus ignorat & reſpuit, contenta viribus, ſibi primitus à Deo conceſſis & continuato hodieq; influxu benignè conſervatis.* Qvin potius dictare naturam, totum ſuppoſitum produci à generante, qvamquam hoc ipſum ex partibus, toto genere Phyſico diverſis, unâ immateriali, alterâ materiali, conſtet; idq; unicum exemplum ſit in rerum naturâ, ubi aliquod generans ex duobus principiis eſſentialibus, uno immateriali, altero materiali, conſtans, poſſit effectum ſibi univocum &

συγγενῆ producere: unde quidem hominis præ aliis omnibus præſtantiam colligendam eſſe nullus dubitet. Atq; hæc qvidem *Dürrius*, quæ ſi ad animum penitius revocarent, qui amore Ariſtotelis adhuc hodie immediatam animarum in corpora effuſionem mordicus defendunt, à propoſito citra dubium libentius remitterent.

XIII. Ordinaria de peccatis regula eſt: *anima, qvæ peccaverit, ipſa morietur. Non filius portabit iniqvitatem patris, nec pater iniqvitatem filii*, Ezech. XIIX. 19. 20. Intelligiturq; extra hunc contextum, ceu Deut. XXIV. 16. de morte cum temporali, tum æterna. Sed apud Ezechielem mortem cumprimis temporalem, qva ſimul omnis generis calamitates continentur, reſpici planè certum eſſe puto. Nam cum Judæi dubitarent, an aliquando è captivitate Babylonicâ in patriam reverſuri eſſent, ſi vel maximè pœnitentiam agerent; qvia ſcilicet ob parentum ſcelera in exilium hoc fuiſſent abducti, quæ tanta fuerint, ut liberationis illis nullam ſpem facerent, atq; ideò in iſta erumperent verba: *patres noſtri uvas acerbas comederunt & dentes filiorum obſtupeſcunt*, hoc eſt, interprete Chaldæo: *patres peccaverunt & filii vapulant*; Propheta, Judæorum, ut in Præfatione ait *Lutherus*, in captivitate conſolator, per totum caput negat, hoc proverbium locum tum habiturum, ſed DEUM eum tantum puniturum eſſe, qvi peccatis ſe & flagitiis contaminaverit, cæteros verò, Divinis legibus obſequentes à ſuppliciis fore immunes. Planè itaq; probo opinionem *D. Dannhaueri*, in Hodoſophiâ expreſſam: ſententiam Prophetæ hic non eſſe generalem, ſed agere de peccato individuali & perſonali, deq; gratioſâ voluntate DEI, ſecundum juris rigorem tum non acturi. Nam ſi univerſim & citra exceptionem verum eſſet, patrem non portare iniqvitatem filii, nec filium iniqvitatem patris, qvomodo id conciliaretur cum Decalogico illo: *viſito iniqvitatem patrum in filiis?*



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/78 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Aut ſi Ezechielem unicè de morte æternâ ,qvod perqvam abſurdè facit *Cornelius à Lapide*, Moſen verò de temporali, & qvidem in filiis, parentum veſtigia prementibus, intelligas, qvomodo cum hoc ſenſu compones infantes, ob parentum delicta in diluvio merſos? Qvomodo diſerta ipſius Dei verba: *& filii veſtri vagierunt qvadraginta annis, ferentq; pœnam ſcortationum veſtrarum, donec deficient cadavera veſtra in deſerto?* Num. XIV. 33. Qvid eſt ferre pœnam ſcortationum paternarum, quam ferre iniqvitatem parentum?

XIV. Qvi meris naturæ viribus myſteria Divina; in Scripturâ revelata, intelligi poſſe negant, meritò hoc cum graviſſimo Theologo, *Nicolao Hunnio*, in Examine errorum Photinianorum, reſtringunt ad conceptum certum, ſolidum, indubitatum. Nam hominem ſibi relictum & naturalia interpretandi media adhibentem, poſſe revelata Divinitus verba, qvippe communi ſimpliciq; ſtylo ideò concepta, ut qvilibet ea intelligere poſſit, qvodammodo percipere, e. g. Chriſtus eſt Filius DEI viventis; qvi credit in Filium habet vitam æternam; venit hora, in qvâ, qvotqvot in ſepulchris ſunt, audient vocem Filii DEI & reſurgent; dubio caret. At de ſenſu tamen verborum, qvod hic ille, non alius ſit, Divinâ fide certus & indubitatus eſſe neqvit, citra peculiarem, per ipſum verbum ei communicatam, gratiam. Effectus enim Divinus cauſæ qvoque Divinitatem neceſſariò arguit. Nondum tamen ſeqvitur: de verborum ſenſu, excitata in intellectu noſtro Divinitus fide, certi ſumus; ergo & iisdem aſſentimur, ergo vim earum & virtutem in uſum noſtrum ſalutarem convertimus. Non enim Spiritus S. converſionem noſtram uno perficit momento. Primo Divini nobis verbi auctoritatem perſvadet, ſine qvâ creditâ neceſſariò ſtultitia ipſi eſt, qvicqvid, dum legit, rationi naturali adverſatur. Mox unius nobis myſterii poſt alterum notitiam inſtillat. Tum aſſenſum certum & im-

motum elicit. Porrò ſalutarem in nobis fiduciam excitat. Deniqve ad vitæ nos qvoqve ſanctitatem & innocentiam deducit. Hæc ſæpe non uno anno, ſed annis & in multis vix per integrum vitæ ſpatium efficit. Qvæ ſi omnia à Spiritu S. proficiſcuntur, qvomodo dici poteſt, verum Scripturarum ſenſum nonniſi ab homine regenito percipi poſſe? Et qvicqvid notitiæ, qvicqvid aſſenſus eſt in irregenitis, id non eſſe á Spiritu S. ſed à natura? An itaqve natura eſt, qvæ hominis regenerationem incipit & procurat? Ergone Spiritus S. nihil in homine convertendo agit, ſi non actu ſtatim & uno temporis puncto eundem convertit? Si qvis doctor habeat excellentem rerum ſacrarum notitiam, ideò ex naturâ eandem habet, qvia non eſt converſus & regenitus? Pono proſelytum, qvi ſacrarum literarum auctoritate omnibus ad fidem neceſſariis articulis, duobus tantum exceptis, de qvibus apud animum ſuum nondum plenè convictus eſt, ingenuam piamqve adponat fidem, an ideò hanc fidem habebit ex merâ naturâ, qvia nondum plenè eſt regenitus? Pono Judæum, qvi perſvaſus à pio Eccleſiæ miniſtro, ſerium cognoſcendæ veritatis propoſitum ineat, patiaturqve ſe in Chriſtianæ fidei dogmatibus informari. Deducitur ſucceſſu temporis ab una veritatis parte ad alteram, donec omnibus adponat ſerio, ut omnia arguunt, animo fidem. Monetur, ut peccatis ſuis omnibus, ex Judaiſmi indole ſibi adhærentibus, nuncium mittat, ſine qvâ pœnitentiâ prævià fiduciam in Chriſtum, peccata ipſi remiſſurum, concipere neqveat. Ille metuens, ne ſi ab uſuris mordacibus remittat, ad paupertatem redigatur, & ſi per vim & malitioſam fraudem ablata reſtituat, famæ, immò ipſius vitæ periculum incurrat, propoſitum ſuum retractat & Judæus manet. Utrum qvicqvid antea intra longum temporis intervallum præviâ ſollicitâ miniſtri ex verbo informatione comprehendit crediditque, id à naturâ fuit, non a Spiritu? Si verò à Spiritu

tu

tu fuit, non obſtante, qvod ob mortalia, qvibus obnoxius erat, peccata, irregenitus erat, qvid itaqve eſt, qvod tanta pertinaciâ defendimus: *cognitionem Theologicam apud impios & hypocritas*, atqve adeò univerſim apud irregenitos, non eſſe veram? Verum eſt, ut homo verbum cum ſalutari fructu ſuo, qvi in ſtatu gratiæ juſtificantis & ſalutis præſenti conſiſtit, intelligat, ſibiqve actu remiſſa eſſe peccata & pacem cum DEO habere ſentiat, neceſſum eſt, ut ſit regenitus. At qvam iniqvum eſt, inde colligere: ergo qvicqvid ad ſalutarem illum fructum, ad intellectum illum, in iſto excellentiæ & experientiæ ſalutaris gradu conſtitutum, procurandum facit, id eſt à naturâ, non à Spiritu Sancto? Qvia nempe id omne fit in homine irregenito, qvantumlibet ad regenituram, qvæ tamen non ſemper obtinetur, tendente. Immò etiam ſumma doctoris irregeniti dona & exqviſitam myſteriorum Divinorum ſcientiam, qvam tamen ad converſionem ſui actu non dirigit, dubitandum non eſt à Spiritu S. eſſe, eum in finem à DEO ei collata, ut regeneretur. Qvo fine cum ſuâ culpâ excidit, eo majorem olim habebit damnationem; cum ſi mera illa naturæ dona eſſent, non majori judicio, qvam qvilibet è doctiſſimorum gentilium numero, obnoxius foret. Invictum eſt argumentum, nullâ exceptiunculâ elidendum: Qvæcunq; Divinorum myſteriorum notitia homini etiam impiiſſimo, qvâ tali, hunc in finem à Deo per verbum conceſſa eſt, ut eundem ad ſui converſionem compungat, Act. XXIV. 25. qvantumlibet compunctioni ſtatim reſiſtat, Act. VII. 51. ea vera eſt notitia, non falſa. Atqui. Ergo. Non puto, ulli mortalium de minoris propoſitionis veritate, vel dubium ullum eſſe poſſe, qvi novit, Scripturam ubicunqve & in qvocunqve eſt, dummodo audiatur, fines ſuos ſecum habere, & qvidem indivulſè & inſeparabiliter. Nec verò â naturâ ſine Pelagianiſmi notâ eſſe poteſt, qvicqvid in ſalutem hominis tendit. Idqve non per accidens, qvod removeat

moveat tantum prohibens, ſed directa & cauſali operâ. Scriptura enim & notitia ex Scripturâ hauſta cauſale medium eſt, ubicunqve exiſtit, ſalutis noſtræ procurandæ.

XV. Decretum electionis neq; abſolutum eſt, cum ſit factum ad prævisum meritum Chriſti, fide apprehenſum, II. Theſſ. II. 13. neqve conditionatum, quia DEus non elegit homines, ſi credant, ſed qvi credunt.

XVI. Scripſerat A. MDCLXXX. *Fridericus Seylerus*, Eccleſiaſtes Baſileenſis, in Anabaptiſtâ, ut vocat, Larvato, me, in Noctibus Chriſtianis, pauca qvæpiã de abſoluto decreto ſcribentẽ, *velle intelligere, Reformatis id abſolutũ dici in ordine ad cauſã vel conditionem antecedentem, ſed non in ordine ad media, per ipſammet electionẽ conſtituta, adeundæ & obtinendæ ſalutis, ad qvam ſumus electi. Nec propterea duplex eſſe electionis decretũ, verũ eodem decreto ſimul electos nos eſſe ad finem & media, eò reqviſita, ad gloriam & ad gratiam.* Octennio poſt in Præfatione Schediasmatum meorum, ubi Noctium tituli, à *Seylero* impudenter arroſi, ratio reddenda mihi fuerat, ſimul argumentis adeò claris, ut vel cæcorum oculos perſtringere poſſent, demonſtravi, me utiqve differentiam illam abſoluti decreti, ceu ſcutum qvoddam paſſim Lutheranis objectam, intelligere, eamqve jam in Noctibus ipſis non quoad rem tantum, ſed in terminis, ut vocant, terminantibus, diſertè inſinuaſſe. Delata autem ab amico haud ita pridem in manus meas eſt *D. Sam. Andreæ*, viri jam diu celeberrimi, Diſquiſitio Theologica de abſoluto decreto, anno quidem MDCLXXXIX. recuſa, ſed à me antea non viſa; in cujus novâ Præfatione non tam mihi, credo, quem nonnunquam laude non commeritâ mactat, ſed Dnn. Lipſienſibus, Præfationem illam meam cum aliquo encomio, nunquam à me affectato, recenſentibus, iraſcitur, *qvi laboribus certè ſuis*, ut ait, *omni commendatione dignis, additúri ſint majorem, ſi recenſuiſſe contenti ſummam librorum, judicium lectoribus relinqvant*

qvant

*qvant, nec ſuorum ſcriptis manifeſto partium ſtudio pretium ſtruant, cui merx haud reſpondeat.* Qvam eqvidem virgulam cenſoriam eadem operâ Vir Clariſſimus exercere in ſuæ religionis Belgas, in Gallos item & Italos, ut â paſſionibus eò judicatus fuiſſet remotior, potuiſſet, qui tamen ideò modum ab aliis inſtituto ſuo ſtatui haud ferent, contenti innumerorum bonorum judiciis, qvibus dicatam bono publico operam paſſim proſequuntur. Qvare & totus ferè *D. Andreæ* diſcurſus non mihi, aut præfationi meæ, ſed judicio Lipſienſi oppoſitus eſt. Inter me enim & Helvetium illum hoc unum controvertebatur: utrum ego intelligam, Reformatis abſolutum decretum dici in ordine ad cauſam vel conditionem antecedentem, an verò in ordine ad media, per ipſammet electionem conſtituta? Qvod ego profectò haud aliter ac digitos meos intellexi & intellexiſſe meismet verbis, cœleſti jubare clarioribus oſtendi. Qvæ tamen me in *Andreano* diſcurſu concernere videntur, ea nunc, ſpretis, qvæ ſubinde ex inſigni animi intemperie intermiſcentur, inſectationibus & cavillis, breviter elido. Itaqve I. denuò negat, me intelligere abſolutum Calvinianorum decretum. Bone Deus, qvam ſubtile hoc myſterium eſt, ut nemo id craſſorum Lutheranorum, poſt tot tantasqve Reformatorum operas, intelligere poſſit! Argumentor itaqve ex verbis *Andreanis*, qvibus ſtatum controverſiæ format, & ad qvæ me, omnesqve Lutheranos, eorum tandem oculos illuminaturus, remittit, hunc in modum: Qvicunqve intelligit, Calvinianis abſolutum decretum ideò dici, qvod nulla ejus detur extra DEum ratio, e. g. fides prævìſa, propter qvam ita decreverit, non verò ideò, qvod eidem decreto involvantur media, per ipſammet electionem conſtituta, is intelligit utiqve Reformatorum Decretum abſolutum. Atqvi ego. Ergo. II. Negat verum eſſe, quod dixi, juxta Supralapſarios reprobos æterno primum exitio fuiſſe deſtina-

tos, deinde verò, ut juſtè perire poſſent, in flagitia omnia præcipitatos. Id enim ad unum omnes Antelapſarios negare ait. Primum ei oppono *D. G. Calixtum*, qvem ipſe graviſſimum vocat Theologum & à moderatione eximiè laudat. Is Conſultatione de tolerantiâ Reformatorum, §. XXVII. Supralapſariorum ſententiam ita proponit: *Eſto ingens lacus, in ripâ ejus pueruli ludunt plurimi, accedit viator & omnes eos in lacum PRÆCIPITES AGIT, certò ibi perituros. Nonnullos tamen lacum ſubintrans, exitio eripit, qvos ei ſcilicet pro ſuo beneplacito viſum eripere; reliqvos nec eripit, nec vult eripere, ſed prorſus, qvemadmodum PROJECIT & EXITIO INVOLVIT, ita projectos & involutos relinqvit.* Qvid Tibi videtur, Vir Cl. an etiamnum moderationis encomium meretur *Calixtus*? Jam *Calvinus*, Libro III. Inſtit. c. IV. §. XII. *Qvos in vitæ contumeliam & mortis exitium creavit, ut iræ ſuæ organa forent, eos, ut in finem ſuum perveniant, nunc audiendi verbi ſui facultate privat, nunc prædicatione ejus magis excæcat & obſtupeſcit.* Qvo ipſo ex immutabili neceſſitate in omnia flagitia præcipites aguntur. Et cur *horribile* Calvino eſt hoc decretum, niſi hanc ſolam ob cauſam? Qvid eſt, *ex Dei ordinatione conſtringi reprobos, atq; ita conſtringi, ut nequeant non peccare & perire*, & qvidem *immutabili neceſſitate ſine reſipiſcentiâ ad mortem usq;*, qvod *Hieron. Zanchius* Libro IV. de Nat. Dei c. II. Parte IV. dixit, qvam reprobos, ut juſtè perire poſſent, in flagitia præcipitare? Sola illa loqvendi ratio: creare ad exitium, condere ad dedecus & ſimilia, non poſſunt alium ſenſum habere, qvam hunc ipſum; qvantumvis hoc Supralapſarii, & cum iis *D. Andreæ*, tegere omni modo velint & incruſtare. Quis verò è Supralapſariis dixerit: Deum compellere, cogere, incitare, flectere ad peccata, fugere neminem poterit, qvi legerit Remonſtrantium Declarationem primi articuli & ſyllabum, eidem ſubjunctum. III. Negat qvemqvam Infralapſariorum docere, poſſe Deum innocentem

creatu-

creaturam ad æternos detrudere cruciatus. At nec hoc etiam ego dixi, ſed hoc ſolummodo: hos taliter docentes, etiam poſt Synodum Dordracenam, ibiqve veluti canonizatum Infralapſariaſmum, (qvamqvam Supralapſariasmo, ut ait *D. Andreæ*, non damnato, ſed ſolum deſerto) tamen in Eccleſia Reformatâ tolerari, tanqvam cæterorum genuinos bonosqve in Chriſto fratres. IV. Omnes difficultates ceſſare, ſi obſervetur, uno decreto, non pluribus, deſtinatam eſſe electis ſalutem & media ad ſalutem. Qvod ego qvidem retulerim ex Seylero, ſed ex *pervicaciâ* qvâdam, qvia noluerim intelligere, tranſilierim. At non tranſilii ex pervicaciâ, ſed reſponſione indignum judicavi. Unius enim decreti partes plures plura decreta vulgò vocari, adeò tralatitium eſt, ut ne qvidem moneri debeat. Si Præfecto ſuo præcipiat Princeps, ut Titium carceri includat, atqve in hunc finem armatam ad eum manum, ipſum comprehenſuram, mittat, neqve dimittat ex carcere citra voluntatem Principis, unum mandatum eſt, in qvo tamen tria mandata & involvuntur & rectè ita appellantur. Decernit Tiberius, ſtrangulari virginem Romanam, prius â lenone ſtupratam, ne quid fieret præter leges. Uno decreto & finem decernit, mortem virginis & media, ad eam requiſita, ſtuprationem & ſtrangulationem. Quid verò prohibeat, non obſtante unitate decreti complexè accepti, tria dicere decreta, ſi materia decreta ſeparatim reſpiciatur? Nempe qvia in uno decreto Divino plures ſunt conceptuum ordinationes in ſigno rationis, has ipſas ordinationes diverſas decretorum nomine venire, adeò abſurdum non eſt, ut apertiſſimè id Vir Cl. fateatur, dum §. XXX. agnoſcere Gerhardum, *uno decreto abſoluto â Reformatis plura decreta comprehendi*, atqve ea in re *Gerhardum ſententiam Reformatorum genuinè proponere*, aſſeverat. Ecce qvanta vis eſt veritatis! Et ſi maximè unum & unicum, immò, ſi ita velis, uniciſſimum ſit decretum, qvod



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/85 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

mortem homini citra reſpectum ad cauſam ; Deum extra ſe moventem, decernat, ſimul tamen conſtringat hominem, ut neqveat non peccare; itemqve qvod è pluribus uni peccato involutis nonnullos ex abſolutâ voluntate prætereat, cæteris ſalutem ſine antecedaneo ad conditionem reſpectu decernat, qvantumvis neque illis mortem inferat ſine antecedaneo peccato, neqve hos ſalvet ſine præviâ fide, tamen hoc unicum decretum, vel ob ſolas impias & in Deum blasphemas conceptuum in decreto ordinationes, injuſtum & tyrannicum, Deiq; ſanctiſſimæ naturæ è diametro adverſum eſſe, hactenus ſemper profeſſi ſumus, etiamnum profitemur & æternũ profitebimur. V. Rationes meas, in Noctibus allatas, nullius ponderis eſſe, cum ignoratione Elenchi peccent, pronunciat, meq; ad lectionem diſſertationis ſuæ, capitis præcipuè illius, quod ſtatum controverſiæ evolvit, invitat. Legi utiq;, ſed cur à ſententiâ meâ recederem, non inveni. Qvid verò de rationibus meis judicandum ſit, partim ex hactenus dictis ſufficienter pateſcit, partim aliorum judicio libenter ſubmitto. Nunc enim Theſeos modulus excedendus mihi non eſt.

XVII. Rectè *D. Dorſcheus* Fragmento abſolutiſſimi, ſi ad finem deductus fuiſſet, Commentarii in Epiſtolam Judæ, adhuc, dum hæc ſcribo, inedito: *Græci vocem Ἰησοῦς vertunt per σωτῆρα; qvæ vox Latinè reddi non poteſt, ut ait Cicero, Act. IV. in Verr. tantus eſt ejus ambitus. Sonat autem σωτὴρ, qvi ſalutem reddit. Noſtri Salvatorem dicunt, qvo vocabulo uſi ſunt Lactantius, Auſonius & plures ex ſacris ſcriptoribus reliqvis. Ut inanis ſit curioſitas, purioris Latiniſmi ſimul & Photiniſmi cauſa cum Socino Servatoris vocabulum ita introducere, ut Salvatoris ita obliteretur.* Scripſerat qvidem doctiſſimus *Faber* in Lexico, Latine rectius Servatorem dici, qvam Salvatorem. Mitigavit verò in iterata auctâque editione Latiniſſimus *Buchnerus*, addendo: *ut qvidam volunt*, Beza nempe, Piſcator, aliiqve, judicio *Winſtrupii* ad Matth. I. *lyncei Ariſtarchi*, Nam jam Nervæ & Tra-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/86
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

& Trajani ætate Salvatoris vocem à Latinis uſurpatam fuiſſe, inſcriptio docet apud *Gruterum*. Cicero vero non tam negare videtur, ſuo qvoqve ævo auditam eſſe, hoc tantum ait, inſolentiorem fuiſſe. Eandem certè uſurparunt patres Latinæ lingvæ tenaciſſimi, *Arnobius*, *Lactantius*, *Cyprianus*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*. Nec eandem rejeciſſe *Tertullianum*, adverſus *G. J. Voſſium*, fuse in Cogitationibus de Latinæ Lingvæ ætatibus probat *Ol. Berrichius*; Præclare ad mentem Dorſchei Buchnerus: *Qvid eſt Salvator? utiqve qvi ſalutem dat, aut dedit. Atqvi Cicero ipſe Sotera definit, qvi ſalutem dedit. Qvidni igitur σωτὴρ Salvator commodè dici qveat? Profectò cum de Chriſto ſermo eſt, malim Salvatoris qvam Servatoris vocabulo uti. Servare militare verbum, & de eo dicitur, qvi parcit in bello, qvos cædere poterat. Salvare ejus eſt, qvi non vitam donat tantum, ſed & meliorem ſtatum addit, felicemqve facit.*

XIIX. Homine Deus indutus eſt, pro humanitate, dixit *Auguſtinus*, libro IX. de Civit. DEI c. XVII. ante mota nempe cum Neſtorianis certamina, adeoqve ſecurius & minus accurate. Obierat enim *Auguſtinus*, anteqvam in Synodo condemnaretur Neſtorius. Qvod verò *Ludov. Vives* cauſatur, Græcos, qvos imitetur *Auguſtinus*, non aliud habere dicendi genus, qvo humanitatem exprimant, qvam vocem ἀνθρώπου, id infinitis ex *Cyrillo* & Græcis Conciliis locis refellitur, qvi dixerunt: ὁ υἱὸς ἄνθρωπον οὐκ ἀνέλαβεν, ἀλλ' ἄνθρωπος ἐγένετο, σάρκα δὲ ἀνέλαβε, *hominem non aſſumpſit, ſed homo factus eſt; carnem verò aſſumpſit.* Nempe ut *Maxentius* ſeculi VI. ſub initium ſcriptor, Dialogo I. contra Neſtorianos ait: *ego à Deo ſuſceptum hominem nullatenus dicere audeo: Melius eſt, ſuſceptam à DEO naturam humanam, qvam ſuſceptum hominem dicere.* Idqꝫ, ut poſtea loqvitur: *ne duas videar in Filio DEI prædicare perſonas.* Videatur *D. Kortholti* de his aliisqve hoc genus propoſitionibus, ſecurius ante mota certamina uſurpatis, Diſputatio.



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/87 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

XIX. Subnixa Scripturis S. Pſalm. V. 5. 6. 7. Rom. IIX. 31. ſententia eſt, contra Socinianos neceſſariò tenenda: non potuiſſe Deum ſalvâ ſuâ juſtitiâ homini peccatori peccata ſua citra præſtitam paſſione Filii Dei ſatisfactionem remittere. *Deus enim, qvi imperium habet in nos & ſummum & abſolutè neceſſarium, non magis poteſt ſine pœnæ exactione homini peccata condonare, qvam illi permittere, ut ſui juris & lege Divinâ ſolutus ſit;* ait Diſputatione de Juſtitiâ Univerſali *D. Schomerus*. Perqvam fraudulenter auctor editorum in contrarium Teſtimoniorum pro adversâ ſententiâ *D. C. Hornejum* & *D. F. Balduinum* allegat. Ille ita loqvitur: *Potuit ſanè Deus ſimpliciter & abſolutè loqvendo,* (extra complexum attributorum Divinorum, qvâ nude ut univerſorum Dominus, nulli à ſe poſitæ legi ſubjectus, conſideratur, ut nempe *Hornejus* cum quibusdam Theologis, qvorum tamen ſententiam ſuo loco relinqvimus, diſtinguit;) *etiam ſine ſatisfactione peccata nobis omnia condonare, ſed per juſtitiam & veritatem ſuam non potuit. De veritate res manifeſta eſt: disertè enim dixerat moriturum Adamum, ſi fructum vetitum guſtaſſet.* (Eſt hæc neceſſitas ſatisfactionis, ſuppoſito decreto Divino) *De juſtitiâ autem id inde conſtat: qvia enim ſatisfactionem pro offenſo exigere opus juſtitiæ eſt, nec aliter tamen qvam per ſatisfactionem liberati ſumus, ita id juſtitiam Divinam poſtulaſſe rectè colligimus, cum non à priori, ſed poſteriori talia judicanda ſint.* Qvid hoc aliud eſt, quam juſtitiæ Divinæ naturam & indolem non permiſiſſe, ut ſine ſatisfactione peccatum dimitteretur? Jam cum *Balduinus* ait, *in conſideratione paſſionis Dominicæ oculos vertendos eſſe non ad id, quod vel Judæi vel Romani milites cum Chriſto egerunt, aut agere decreverunt, ſed ad decretum Patris æterni, cui ita placuit, ut hoc medio & non alio ſalus humani generis promoveretur;* nihil aliud dicit, qvam Deum egiſſe ſecundum conſilium beneplaciti ſui, κατὰ τὴν ὡρισμένην βουλὴν, Act. II. 23. Utrum vero conſilium iſtud, hoc non alio medio humanum genus

redimendi, merâ puraq; Dei voluntate, an vero Divinæ juſtitiæ immutabili dictato, nixum fuerit, id qvidem his in verbis non exprimit: & prius illud nonniſi fidiculis ex iisdem extorqvetur.

XX. Non poſſunt Pontificii in agone mortis, ( ceu nonnulla apud eos Agenda Eccleſiaſtica, doctoresq́; qvæ qvosq; adducit in Libro de Arte Novâ ſub finem & in Apologiâ Anti-Buſcherianâ, capite de Juſtificatione *D. Calixtus*, decernunt) fiduciam ſuam in meritum potius Chriſti & miſericordiam Divinam, quam in propria opera ſua, ſeriò collocare, cum non in merito Chriſti, ſed in ſolis operibus omnis eorum juſtitia & hæreditas vitæ æternæ formaliter ſit poſita. Meritum enim Chriſti & miſericordia Divina cauſa tantum ſunt juſtitiæ & ſalutis noſtræ juxta Pontificios efficiens atq; externa, hominem juſtum & hæredem vitæ æternæ reddens, non per ſe, ſed per id, qvod efficiunt, nempe per infuſam juſtitiam, i. e. per opera; & ſine operum infuſione nullam ſalutem aut vitam æternam procurant. Hinc rectè concludo: In qvacunq; re juſtitia mea & hæreditas vitæ æternæ propriè, formaliter & unicè conſiſtit, in illam etiam unice fiduciam meam in agone mortis ponere & poſſum & debeo. Atqvi in infuſis operibus. Ergo. Porrò: Qvicunq; me aliter juſtum ſalvumq; reddere non vult, quam per infuſa opera, in eum fiduciam ſalutis præ operibus, aut abjecta in opera ſpe, ponere neq́; poſſum neq; debeo. Atqvi Chriſtus. Ergo. Js cui Imperator Romanus ſufficientes per omnem vitam divitias & promitteret & largiretur, ſtolidè faceret, ſi diffiſus Imperatoris divitiis, in Imperatorem ipſum fiduciam collocaret, qvem noſſet, aliâ ratione qvã per divitiarum elargitionem ipſi ſuccurrere non velle. Jam *Fr. Coſterus* in Enchiridio: *morituris*, inquit, *exhibetur crux Domini, ut de ſuis meritis DIFFISI, eo potiſſimum tempore, qvo gravius â dæmone ad deſperationem tentantur, ſpem ſuam omnem in crucifixo ponant, cujus meritis & paſſione petant juvari.* Dico:

aut

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/89 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

aut Chriſtus juvare vult infuſione juſtitiæ inhærentis, cur itaq; noſtris meritis diffideremus, cum juſtitia inhærens ſint noſtra merita? Aut juvare vult miſericordiâ ſuâ, peccata nobis, etiam citra operum infuſionem, condonando & ſuam nobis juſtitiam donando; & ſic improvidi invitiq; in Lutheranorum caſtra receſſimus, ei juſtitiæ confidendo, qvam tot convitiis alibi proſcidimus & in Concilio Tridentino anathemate damnavimus. Spem enim ſuam OMNEM in paſſione & merito Chriſti, ubi opera non ſunt, qvæ me ſalvum reddant, ponere & adeò alieno merito unicè confidere, qvo ſalvus fiam, qvid aliud eſt, qvam alienum meritum pro meo reputari? Qvid verò Concilium Tridentinum canone X. *Si qvis dixerit, per Chriſti juſtitiam, per qvam nobis meruit*, qvæ nempe nihil aliud eſt, qvam meritum & paſſio Chriſti, *hominem juſtificari, aut per eam ipſam nos formaliter juſtos eſſe*, & DEO gratos atq; acceptos, *anathema ſit.* Ita ſemetipſos in extremo agone condemnant, doctrinamque ſuam erroris arguunt Romanenſes.

XXI. Temerè *Joh. Piſcator*: *Scriptura de unione Dei cum ſanctis ſecundum eſſentiam nihil tradit.* Quid enim clarius illo Petrino: ἵνα γένηϑε ϑείας κοινωνοὶ φύσεως? *ut fiatis Divinæ naturæ conſortes*? Et quid Divina natura aliud eſt, qvam Deus ſecundum eſſentiam? Qvid participem fieri ejus, qvod antea non habebas, quam approximare ad te illud, tuumqve fieri? Qvando particeps ab alio reddor auri, an alio argumento, qvod aurum ad me redeat & ſubſtantialiter ſe mecum conjungat, opus eſt, quam ipſâ locutionis literâ? Qvid itaq; conſequentiâ opus eſt? An qui naturæ me auri participem reddit, operationes tantum auri intelligit? Ait Petrus: Divinæ nos naturæ participes fieri, ut ſtudeamus innocentiæ & puritati, ex qvo tam non ſequitur: ergo naturæ Divinæ operatio intelligitur, cum ex operatione ſequatur ſtudium innocentiæ; quam non ſequitur: auri particeps à me factus es, ut ſtudeas liberalitati



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/90 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

ſitati erga pauperes: ergo auri operatio intelligitur, quippe ex quâ ſequitur liberalis erogatio. At ipſum aurum, non operatio ejus donata eſt. Nec minus efficaciter Petrus iis contradicit, qui aſſerunt: *non habitare in nobis, aut accedere ad nos Spiritum S. niſi per donum aliquod ſuum, qvod in nobis efficiat.* Hoc enim non eſt participem fieri eſſentiæ, quâ communione antea homo carebat. Et qvamqvam adeò novo ſecundum ſubſtantiam modo ſe fidelibus communicet Deus, quia tamen præſentia illa non eſt localis, ſalva æq; manet Dei immenſitas & omnipræſentia, ac in novo illo unionis genere, qvo vel perſonaliter vel paraſtaticè carni ſuæ ſpeciebusq; à ſe aſſumptis acceſſit ὁ λόγος, & columbæ Spiritus Sanctus, cum DEO non deficiant alii modi innumeri, quibus hoc facere poſſit, juxta Eph. III. 20.

XXII. Non negandum eſt, *Medii* vocem nonnunquam vel cum adpoſito, vel arguentibus id manifeſtis rei circumſtantiis, non poſitivè & cauſaliter accipi, ſed denotare tantum ordinem, ſeu qvicqvid inter initium rei & finem reapſe poſſeſſum intercedit. Ut cum via dicitur medium profectionis meæ & remotio obſtaculi medium pergendi in viâ. Quæ eſt vocabuli, in moralibus præcipuè adhibiti, *impropria & aqvivoca acceptio*, fatente *D. G. Calixto*, Part. 1. Reſp. Mogunt. N. LXV. Qvo vocis ſenſu *D. Hülſemannus* olim Breviarii c. IX. §. II. ſcripſit: *Primum medium acqvirendi ſalutem* παχυλῶς *& ratione ordinis, non cauſalitatis ſic dictum, ex parte hominis eſt agnitio, dolor & deteſtatio peccati.* Qvamquam & hujus ipſum phraſeos (me quidem judice, quod cum tanti viri pace dixerim, immeritò) pœnituiſſe ſcribat *D. Scherzerus*, credo, ob activi verbi: *acqvirendi*, quod cauſalitatem, voce *medii* ordinariè ſignificatam, adaugere videtur, adjectionem. Si tamen abuſiva hæc & impropria ſignificatio admittatur, ideò tamen abſolutè dicendum non eſt: Medium acquirendi ſalutem eſt ſanctitas vitæ, in bonis

 operibus

operibus conſiſtens. Hæc enim propoſitio naturâ ſuâ comparata eſt ad decipiendum lectorem, quaſi bona opera cauſale medium eſſent, beatitudinem impetrandi. Jam verò Theologo æq; curæ eſſe debet, ut rectè loquatur, ac ut rectè ſentiat. Longè magis verò heterodoxum ſenſum animo ingenerare apta eſt illa propoſitio, quâ vita æterna finis eſſe dicitur Theologiæ Moralis, medium verò, à quo conſecutio finis pendet, ſanctitas vitæ, poſita in actionibus, legi & voluntati Divinæ conformibus; nominatâ ſcilicet tantum cauſâ ſeu medio, impropriè & æqvivocè accepto, quod tantum removet prohibens, qvo minus finis Theologiæ Moralis, qui eſt vita æterna, amittatur, & ſilentio involuto vero poſitivoq; medio, quod eſt fides. Hac enim in orationis ſtructurâ impoſſibile eſt, alium à legente, qvam qui cauſalis eſt, ſenſum hauriri. Senſus verò verborum quorumlibet literalis is eſt, qui, qvamprimum auditur, in intellectum illabitur. Egi hac de re ex inſtituto in Noctibus Chriſtianis Exercitatione tertiâ.

XXIII. Non poteſt non animus pius exhorreſcere, cum in Catalogo, à Remonſtrantibus Actis ſuis inſerto, longo ordine legerit, poſſe verè fideles in peccata atrociſſima, utpote Davidem in adulterium, Petrum in abnegationem Chriſti, alios in ſcelera alia, conſcientiam directè vaſtantia, incidere, nec tamen ideò juſtificationis gratiam amittere. Qvâ doctrinâ flagitiis omnibus lata porta aperitur. Planè verò perſvaſus ſum, non exiguum robur huic ſententiæ Calvinianæ monſtro addere eos è noſtris, qui neſcio qvâ imprudentiâ & *perverſo favore*, ut loquitur *Auguſtinus*, Petri lapſum, qvem nonnulli veterum certis ex circumſtantiis Judæ lapſu graviorem eſſe profitentur, in peccatillum, ex merâ carnis infirmitate profectum, convertunt. Qvæ cruda opinio, haud ſecus ac Jeſuitarum Probabiliſmus, pronam ſternit viam ad incruſtanda nefandiſſima qvævis maleficia. Quis enim delinquentium non dicet,

ſtimulante

ſtimulante vehementiori paſſione abreptum ſe peccaſſe? Præcipuè cum omnia ſcelera ex tribus iſtis paſſionum fontibus, *concupiſcentiâ carnis & concupiſcentiâ oculorum & ſuperbia vitæ*, I. Joh. II. 16. exoriantur, qvibus vel tanquam Sirenum canticis illecti, vel ceu Furiis exagitati, proruunt in ſcelera, qui ſceleribus delectantur. Jam quo jure involuntarium & infirmitatis peccatum Petri lapſus dicetur, qui tantâ cum animi malitiâ & obſtinatione eſt commiſſus? *Erat Petrus*, ait in Præcone pœnitentiæ *Siricius* noſter, *ſedulus in ſcholâ Chriſti per triennium auditor, operumq; miraculoſorum ſpectator, obligatus præterea juramento ad ſtandum & manendum cum Chriſto.* Contremiſcit verò ad unius ancillæ vocem, qui antea ad Chriſtum magnâ confidentiâ dixerat: ibo tecum in mortem. Negat, ſe notitiam habere illius hominis, quem ex prædicatione, ex miraculis jam diu tota urbs noverat, tota Judæa. Ad cujus in illâ tragœdiâ exitum ſpectandum ipſe cum aliis plurimis prætorium erat ingreſſus. Quanta hæc eſt, proh Deum, temeritas! Poterat primo ictu ſauciatus declinare ſecundum, (liberum enim erat, quolibet momento exire) aut ſi in ſecundo etiam ſuccubuiſſet, prævertere tertium, ſed ille pervicax in propoſito eousq; moratur, donec â mulierculâ territus, interpoſito, quod horrendum eſt, ſacramento, & conjectâ in ſemet, ſi hominem noviſſet, execratione, tertiùm & Dominum & doctorem & redemptorem ſuum, qui eundem fideliter præmonuerat, pudendo ore denegaſſet. *Aliud eſt*, inqvit *Varenius* noſter in Breviario, *aliqvando ex metu & imbecillitate carnis fidem non profiteri, aliud Chriſtum abnegare, idq; iteratis vicibus & ſub anathemate ſibiipſi indicto, abjurare & ſe devovere, idq; poſt tantam obfirmationem finalis conſtantiæ.* De qvâ nempe ſui abnegatione Chriſtus dixerat, talem abnegatorem coram hominibus ſe viciſſim abnegaturum eſſe coram DEO, Matth. X, 33. Si verò

tantillum eſt, qvod peccavit, cur tam amaris lacrymis deflet transgreſſiunculam, ex carnis imbecillitate, cui ſubjecti ſumus omnes, patratam? Quis verò non abſurdos ſtolidosq; dixerit martyres, qvi incuſſo à provinciarum præſidibus metu, Petri exemplum non ſunt imitati, id eſt, vehementiore animi perturbatione commoti, peccatum illud infirmitatis, denegationem Chriſti, commiſerunt potius, pœnitentiam quippe mox cum Petro acturi, quam tantis ſeſe periculis expoſuerunt? Rectè ergo *D. Dannhawerus* in Hodoſophiâ: *fidei omninò naufragium fecit Petrus, non qvidem notitiæ, qvæ in Diabolo qvoq; eſt*, (quin & gratiam quandam inhærentem etiam Petro relinqvit *D. Muſæus* Tr. Min. de Conv. Diſp. V. §. 27. *cum non diu poſt abnegationem, à nemine monitus, ſed ut videtur, ab interiore gratia ſollicitatus, ſeriam egerit pœnitentiam*, per quam ſine dubio ipſam accuratiorem Chriſti concionumq; ipſius notitiam intelligit, qvam cum per lapſum non amiſerit, illa, qvippe ex verbo Divino, Divinam commovendi efficaciam perpetuò ſecum habente, hauſta, ſtimulum ei ad pœnitentiam addidit) *ſed fidei ſalvificæ, qvæ cum tanto peccato ſtare non poteſt.*

XXIV. Auguſtana Confeſſio articulo ultimo de poteſtate Eccleſiaſtica ſub finem: *Qui judicant, Eccleſiæ auctoritate pro Sabbatho inſtitutam eſſe diei Dominici obſervationem, tanquam neceſſariam, longè errant. Scriptura abrogavit Sabbathum, quæ docet, omnes ceremonias Moſaicas poſt revelatum Evangelium omitti poſſe. Et tamen quia opus erat conſtituere certum diem, ut ſciret populus, quando convenire deberet, apparet, Eccleſiam ei rei deſtinaſſe diem Dominicum, qui ob hanc quoque cauſam videtur magis placuiſſe, ut haberent homines exemplum Chriſtianæ libertatis, & ſcirent, nec Sabbathi nec alterius diei obſervationem neceſſariam eſſe.* Commentarii loco eſſe poſſunt duo paragraphi è Theologiâ Morali ſummi Theologi & inter rariora Academiæ noſtræ decora numerandi, *D. J. G. Dorſchei*, quam A. M. DC.

M. DC. LXXXV. ex MSC. edidit & in publicâ Academiæ Wittebergenſis cathedrâ defendit Vir celeberrimus, *D. J. F. Mayerus.* Ita autem ille §. §. cc. & ccI. *Sabbathi præceptum non ὅλως eſſe aut mutabile aut ceremoniale, tum ex ſerie præceptorum decem ſummorum, in quâ conſtanter extat, tum ex rationibus moralibus annexis, ſupra dictum & deductum eſt. Ergo aliquid moralitatis,* (ſanctificationem nempe nominis Divini in publico Eccleſiæ cœtu, ceu expreſſè dicitur Lev. XXIII. 36. qvod in N. T. repetitur Hebr. X. 25.) *in ſe continet, quod malè negat Thomas Brodæus poſt Smalcium.* (Ut adeò ipſam primariam tertii præcepti vim & ejus qvaſi eſſentiam tollant, qui privatos conventus, die Dominico, qvantumlibet devotionis & pietatis cauſâ inſtitutos, publico Dei cultui, in verbi prædicatione & ſacramentorum inſtitutione conſiſtenti, præferunt.) *An vi juris moralis poſitivi præceptum de Sabbatho ſanctificando obliget indefinitè ad certum tempus, ex dierum naturalium curſu ſeparandum, idque Dei cultui non otioſe ſeponendo, ſed ſalubriter promovendo conveniens & commodum; an verò ex hebdomade dierum unus ſit determinandus, quicunq; tandem ſit, qui ſacris ſolennibus decernatur & deſtinetur, mutabilitas ſit tantum in materia numeri, ſeu numero numerato, non in ipſa formâ, ſeu numero numerante, diſputatur. Prius placet D. Chemnitio, Melanchtoni, Brentio, Wigando, Heerbrando, Dieterico, Finccio; quia hoc ſatis eſt ad hoc tertium præceptum, à primo & ſecundo mandatis, pro omni tempore obligantibus, diſtinguendũ,* (nam in primo præcepto ſanctitas per fidem, pietatem, devotionem, amorem, timorem & venerationem DEI, privatim atq; intra animum noſtrum, ut ita loqvar, exercenda; in ſecundo eadem ſanctitas, in qvantum in externam oris noſtri profeſſionem, legendo, audiendo, laudando, benedicendo, jurando, vovendo, cantando, privatim tamen, profluit; in tertio denuò eadem ſanctitas, quatenus illa ipſa publico loco ſolenniq; ritu exercetur, præcipitur) *nec ad cultum publicum, in gloriam*

*Dei referendum, præciſè unicus ex ſingulis hebdomadibus in orbem redeuntibus, poſtulatur, Rom. XIV. 5. 6. Col. II. 16. Et quia nulla ſufficiens ratio ex lege Divinâ elucet, quæ indicet voluntatem Dei de uno præciſè ex hebdomade dierum. Poſterius eſt plurimorum Calvinianorum, quos citat & ſequitur Walæus, Eatonus, & ante eos Perkinſus. Diſſentit Rivetus. Neq; tamen morale Divinum de certo tempore, ad publicum ſolemnemque cultum DEO ſeparando, etſi vi mandati Divini non ſit ad determinatum ſeptimanæ diem unum reſtrictum, ita reſpectu applicationis in noſtra libertate poſitum eſt, ut contra charitatem Dei & proximi ad decimum, (Brentius, magnus Theologus, & poſt eum alii, affirmat, licuiſſe Chriſtianis feriam ſecundam, tertiam, qvartam, immò nonam etiam aut decimam pro publico feſto die ordinare) viceſimum, triceſimum, centeſimum &c. diem extendi poſſit, aut etiam planè omitti. Hoc enim diſertè impugnaret morale Divinum; illud eſſet everſivum ſalutis animarum, quarum publica ad cœleſtia convocatio & excitatio, quia eſt pars cultus Divini, expreſſo verbo inſtituti, potius frequentanda, quam protrahenda. Licet igitur certus non requiratur dies, ſufficiens tamen poſtulatur.* Nempe novi T. naturæ, ubi ob beneficiorum, nobis per Chriſtum exhibitorum & magnitudinem & copiam, ſi fieri poſſet, quotidie convenire DEUMq; laudare deberemus, Eſ. LXVI. 23. conveniens. Ut adeo ex morali hac, proveniente ex ſummis beneficiis, obligatione in Nov. T. teneremur quemlibet diem potius tertium qvartumqve, qvam nonum vel decimum ad ſanctificationem Dei publicam deſtinare. Nempe ut notanter *Lutherus* in Catecheſi majori: *Hæc qvidem quotidie fieri debebant, ſed quando multitudo præpedita negotiis intereſſe ſacris neqveat, ad minimum unus aliquis dies per hebdomadem huic rei ſerviendæ eligendus eſt.*

XXV. Non ſunt verè oppoſita, Eccleſiam eſſe veram &, Eccleſiam ſimul eſſe idololatricam. Nec enim hæc dicuntur eodem reſpectu, aut quoad eandem partem, quod ad

veram tamen contradictionem requiritur. De Eccleſiâ Iſraëliticâ, in deſerto Sinai peregrinante, quæ fuerat populus & peculium Dei, tantis ſibi ex Ægypto miraculis & forti manu aſſertum, S. Stephanus, Act, VII. 42. *Convertit ſe Deus*, inqvit, *& tradidit eos, ut adorarent exercitum cœli, ut ait Propheta: numquid victimas & hoſtias obtuliſtis mihi annis qvadraginta in deſerto, domus Iſraël?* (allocutio eſt non unius tantum alteriusq; inter Iſraëlitas, ſed Eccleſiæ Iſr. ipſius, cujus major pars idololatriam iſtam, neq; id clam, ſed palam & publicè exercuerat) *Et ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch, & ſidus Dei veſtri Remphan, figuras, quas feciſtis, ad adorandum illas.* Qvid ad hæc *Hieronymus* in Cap. V. Amoſi? *Ex hoc diſcimus*, inqvit, *omnes hoſtias & ſacrificia, qvæ in deſerto obtulit Iſraël, non Deo obtuliſſe, ſed Moloch, regi ſuo, cujus portaverunt tabernacula & imaginem idolorum ſuorum, ſtatuarumq; venerati ſunt. Et qvod poſtea qvædam Domino legimus obtuliſſe, non voluntate, ſed pœnarum fecerunt metu, & eorum interfectione, qui propter idola ceciderunt.* Nec aliter pleriqve patres alii. Bone DEUS, qvalis hæc eſt Eccleſia, qvam Dominus ipſe plantat ducitq;? In qua idola publicè proſtant & à majori cœtus parte adorantur! Et quam ſubita hæc & caliginoſa Eccleſiæ, paulò ante florentis, obtenebratio! Sed vide non ullâ ſui parte minorem. Tempore Jeremiæ, veræ Eccleſiæ in tribu Juda Paſtoris, Iſraëlitæ duplici ſe peccato contaminaverant, *Deum, fontem aquæ vivæ dereliquerunt, ut effoderent ſibi ciſternas fractas, quæ non capiunt aquas*, Jer. II. 13. Sed audiamus ipſum Jeremiam ad totum Iſraëlem: *quomodo dicis, non pollui me, Baalim ſecutus non ſum. Vide viam tuam in iſta valle, agnoſce, quid feceris. Ut onager in deſerto ſcortationi tuæ indulges. Pro numero civitatum tuarum ſunt Dii tui, verſ. 23. 24. 28. pro numero urbium tuarum ſunt Dij tui, o Juda, & pro numero platearum Jeruſalem diſpoſuiſti altaria ad ſuffitum faciendum pudendo Baali*, c. XI, 13 Ecce, Iſraëlitica Eccleſia,

Jeremia

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/97 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Jeremia Antiſtite, vera Eccleſia erat, (nec enim alia tum vera Eccleſia erat in mundo) verum DEO cultum præſtans in templo Hieroſolymitano: & tamen tota Judaica Eccleſia, (*ô Juda*, inquit Propheta) diſpoſitis ubiq;, etiam in ipsâ ſanctâ Hieroſolymâ, idolorum aris, erat idololatrica. Non itaq; abſurdum eſt, (ceu ſimplicioribus, quos ad Romanam idololatriam ſeducturi ſunt, perſvadere annituntur Papæi) Eccleſiam ante Lutherum fuiſſe & idololatricam, quoad eam partem & reſpectum, qvo Romanæ curiæ adhæſit, & ſimul tamen veram fuiſſe Eccleſiam, quoad eam partem, quæ ſuperſtitionem iſtam vel clam improbavit, (quales & Jeremiæ tempore plurimi fuerant) vel palam.

XXVI. Non pugnant hæc: Miniſterii candidatum operam ſuam Eccleſiæ poſſe offerre, ut in vocando ejus habeatur ratio. Et: Miniſterii candidatum quæri potius debere & invitum cogi, quam ut ſemet ad functiones offerat. Et: Miniſterii candidatum cogendum ad officium non eſſe, ne in officio poſtea ſegnis reperiatur aut infructuoſus. Primum illud Paulus diſertè adſeverat, I. Tim. III. 1. *Fidelis eſt ſermo, ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Qvamqvam enim Epiſcopatus eo tempore magis erant moleſti & ob metuenda martyria periculoſi, qvam hodie, ubi deliciis humanis & divitiis & honoribus turgent; ſufficit tamen, Apoſtolo docente, ipſummet munus qværi poſſe & ambiri. Secundum Leo Imperator, pietatis & religionis ſtudioſiſſimus, Lege XXXI. Codice de Epiſcopis & Clericis, inculcat: *Tantum ab ambitu ſepoſitus eſſe debet Epiſcopus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi. Profectò enim indignus eſt ſacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus.* Qvod verè ab Imperatore dictum eſſe, *Franc. Modius*, Brugenſis, inde demonſtrat, qvod & ſapientiores gentiles agnoverint, invitos, non ambientes, in Rep. tolerandos eſſe. Tertium deniq;

deniqve *B. Lutherus*, Commentario in Epiſtolam Petri, Tom. II. Opp. Altenb. profitetur: Wahr iſts/ es ſoll ſich ſelbſt niemand unberuffen zu dem Ampt tringen/ aber wann er beruffen und gefördert würd/ ſoll er williglich hinangehen und thun/ was ſein Ampt fordert. Dann die es müſſen genöhtigt thun und nicht Luſt und Lieb dazu haben/ die werden es nicht wohl außrichten. Qvæ tamen conciliabuntur, ſi partim majora Eccleſiæ officia à minoribus diſtingvantur, partim ad donorum in perſonis differentiam habeatur reſpectus. Commune enim prædicandi, agendiqve Eccleſiæ curam officium, qvin ambiri poſſit ab eo, qvi ſufficientia ſibi ad id dona acqviſivit, dubitari neqvit. Cum enim vocationes noſtræ hodiernæ ſint mediatæ, fieriqve poſſit, ut niſi qvis ſe ad officium offerat, planè ignoretur, donaqve ejus ſine fructu deliteſcant, qvis dubitet, talem nomen ſuum apud eos, qvi vocationibus præſunt, dummodo ſe non intrudat, profiteri poſſe? Superſtitioſè religioſi ſunt & talentorum à DEO ſibi creditorum contemptores, qvi nonniſi qvæſiti admoveri miniſterio volunt. Qvaſi verò, qvod DEUS ad uſum gloriæ ſuæ promovendæ mihi conceſſit, ſepelire ſilentio meo mihi liceat & non tenear potius uſum illius & aliis quacunque occaſione offerre, & ſtudioſè eandem qværere! Dummodo abſit fœda per qvascunqve illicitas artes ambitio. Leo verò Imperator de Epiſcopatu, preſſius dicto, in regendis ſingulari ſcientia & prudentia Eccleſiis conſiſtente, manifeſtè loqvitur, ad qvem & alia id genus ampliſſima graviſſimaqve officia referuntur. Ad hæc cum virtutes planè ſingulares & prudentia, longo uſu rerum acqviſita, reqvirantur, de qvibus, ceu in luce poſitis, alii rectius, qvam ipſa, qvæ vocari debet, perſona, judicare qveunt, præſtat hic, habitâ ſummæ humilitatis ratione, tantum onus modeſtè, qvamdiu fieri poteſt, declinare, qvam ſuſpectum ſe facere ambitionis & officii, ſtudioſè affectati.

Donec tandem precibus Eccleſiæ victus voluntati ſeſe Divinæ ſubjiciat. Deniqve ſi qvis certâ intra ſeſe infirmitatis ſuæ conſcientiâ & natâ hinc pervicaci qvadam animi obſtinatione officium recuſet, cogendus non eſt, *qvippe qvi nunqvam ad officium ſuum promtè ſe exhibebit, nec faciet ea, qvæ munus injunctum exigit*, ceu loqvitur *D. Caſp. Zieglerus*, eleganti libello de Muneris Eccleſiaſtici Fugâ.

XXVII. Jus magiſtratus Politici circa ſacra, qvod alteram majeſtatis qvaſi partem conſtituit, non in eo tantum juxta verbi Divini, immò ſanioris rationis ipſius dictatum, qvæ principem populi vult eſſe paſtorem, verſatur, ut Eccleſiam defendat & Miniſterio ejus de neceſſariis proſpiciat, ſed ut ἐπι-σκοπὴν in ipſos gerat Epiſcopos, eosdem, ſi digni & idonei ſint, Eccleſiis præficiendo, præfectos, ut officium faciant, auctoritate ſuâ compellendo, ſi id neglexerint aut exorbitaverint, vel plectendo, vel à functionibus ſuis dejiciendo. Potiſſimum verò vis hujus juris conſpicitur in judicio circa religionem ipſam & controverſias, in Eccleſiâ obortas. Nec enim in his κωφὸν πρόσωπον princeps eſt, qvi religionis conſtitutionem, dijudicationemqve controverſiarum Miniſterio in ſolidum committere, & qvicqvid illud decreverit, effectui tantum dare teneatur. Sic enim non fuerit nobiliſſimum & præcipuum Eccleſiæ, (cui radicaliter jus omne ſacrorum competit, perqve tres ſtatus ſuos, æqvo jure gaudentes, illud exercet, qvamqvam in ejus adminiſtratione haud exigua differentia conſpiciatur) membrum, ſed militis tantum obiret officium, vel lictoris, juſſa heri ſui exeqventis. Utqve adeò magiſtratus de ſacris judicare poſſit, (ad qvod vi officii ſui, â Deo ipſi impoſiti, ex conſcientiâ utiqꝫ æqꝫ, ac ad judicium de civilibus rebus, obligatur) facultatem ſibi freqventi ſacrarum literarum lectione & converſatione cum Theologis comparare tenetur. Id ſi neglexerit, gravem aliqvando reddet DEO rationem.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/100
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

rationem. Qvam verò turpè & Imperatoriâ perſona indignum eſt, cum Valentinianus Imp. invitantibus Epiſcopis, ut dignaretur ad emendationem dogmatis Concilio ſacro intereſſe, reſcripſiſſe *Caſſiodoro* fertur: *Mihi qvidem, cum unus de populo ſim, fas non eſt, talia perſcrutari. Sacerdotes, qvibus hæc cura eſt, apud ſe ipſos congregentur, ubi voluerint.* De qvo reſponſo, (qvod favere ſibi Romani vehementer gloriantur, *Natalis* etiam *Alexander* ſententiam vocat, ab omnibus principibus Chriſtianis obſervandam:) non poſſum, qvin adſcribam judicium *Varemundi Luitholdi* è libro: qvæ optima ſit ratio componendæ religionis, circa medium: *Non animadvertunt Pontificij*, inqvit, *id reſponſi Imperatore dignum non fuiſſe. A populo enim recta fides, ut teneri ita & cognoſci debet, nedum à principe. Et hoc qvoqve iſti præpoſterè faciunt, qvod cum evincere conantur, laicorum judicium in negotio religionis non eſſe admittendum, ipſi judicio laici tantopere nituntur, Epiſcoporum contrariâ ſententiâ contemta. Nam Epiſcopi probatiſſimi Helleſponti, Bithyniæ, & qvicunqve Patrem & Filium conſubſtantialem prædicabant, hunc Imperatorem per Heracleæ Perinti Epiſcopum rogaverant, ut ad emendationem dogmatis intereſſe dignaretur. En tot ſanctiſſimi patres fas eſſe judicarunt, ut Imperator Concilio ita, ut Conſtantinus feciſſe laudatur, & emendationi dogmatis intereſſet, Imperator laicus, immò militaris & de rebus ſeculi magis qvam Dei perſcrutandis ſollicitus, exiſtimavit, nefas eſſe, ſe iſta perſcrutari & intereſſe Concilio detrectavit. Qvæ igitur ratio, ut ij, qvi judicium laicorum in rebus ſacris adeò contemnendum ducunt, laici unius, & ejus, qvi non pauca perperam judicavit, temerè dictum, certo probatoqve judicio tot Epiſcoporum, qvi religionis & ſcientiſſimi & ſtudioſiſſimi erant, anteponant?* Hæc planè eruditè, qvisqvis ſub *Luitholdi* iſto nomine latet, qvem ego qvidem ex variis indiciis *Wolffg. Fabr. Capitonem*, trium Faculta-

tum Doctorem, Anno MDXLI. fatis functum, cum libellus ille uno ante anno prodiiſſet, eſſe exiſtimo.

XXIIX. Infantes verè credunt, ſi baptizantur. Vera autem fides nunqvam & nullibi eſt ſine eſſentialibus fidei partibus, notitiâ, aſſenſu & fiduciâ. Qvicqvid hic obganniat ratio, Servatoris aſſerto inhæremus: *Parvuli in me credunt*, Matth. XIIX. 6. Parvuli ſunt, qvi *adportabantur*, qvosqve in ulnas recepit Chriſtus, Marc. X. 13. 16. juxta vaticinium Prophetæ Eſai. XLIX. 22. Qvos advocaverat, verſ. 12. per matres adferendos, Qui ſcandalizandi non fuerant, aliqvid dicendo aut faciendo, ex qvo ſcandalum capere poterant, ſi ratione uterentur. Qvo ſenſu vox illa accipitur Matth. XVI. 23.

XXIX. Non ſeqvitur: poſt latam de prohibita polygamiâ legem multi polygami in V. T. nunquam à DEO diſertè reprehenſi fuerunt: ergo probabile eſt, talem legem latam nunqvam fuiſſe; qvia & multi fuerunt, qvi ante latam legem Moſaicam plures duxerunt uxores, & uxoribus libellum repudii liberrimè dederunt, à Deo nunqvam ideò diſertè reprehenſi, cum tamen in primâ matrimonii inſtitutione, qvæ legis æternæ rationem habebat, diſertè docente Chriſto, Matth. XIX. 4. una tantum uxor uni marito, idq; in vinculum, excepto fornicationis caſu, indiſſolubile, qvod libero repudio ſolvi non poterat, conſociata fuerit. Nec obſtat, qvod Deus ipſe Davidi videtur plures concedere voluiſſe uxores, utut jam plures habebat, II. Sam. XII. 8. ſ. Nec enim neceſſe eſt, vel per, נשי, uxores Saulis intelligi, cum intelligi poſſit totum Regis Gynæceum, nec per, אתנה, traditio in matrimonium, cum poſſit intelligi traditio in poteſtatem, cum liberrimo eligendi arbitrio, hoc ſenſu: Et dedi tibi domum Domini tui, Saulis, & Gynæceum Domini tui, plurimis ex Iſraëliticâ nobilitate fæminis, iisq; & formæ excellentiâ & virtutum omnium præſtantiâ conſpicuis, illuſtre, in ſinum poteſtatemqve tuam, (id enim

*dare*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/102 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

*dare in ſinum* denotat, Luc. VI. 38.) immò tradidi tibi in dominium tuum omnem domum Jſraëlis & Juda, ut ex totâ hac univerſitate capere tibi, ſi à primævâ inſtitutione ex malis Judæorum moribus recedere velles, uxorem, qvæcunqve oculis tuis placuiſſet, potuiſſes: cur itaqve in tantâ electionis libertate animum tuum ad proximi tui uxorem, per leges meas ſub capitali pœnâ tibi prohibitam, adponis, utque ea potiaris, maritum ipſius innocentem, qvod ſcelus inauditum eſt, occidis? Ut adeò non tam approbationem polygamiæ in Davide inſinuare DEUS, qvam exprobrare eidem majus peccatum, cum minori ſe, ſi malus eſſe voluiſſet, potuiſſet polluere, intenderit. Ita *Gerhardus* Loco de Conjugio. Nec diſſentit *D. Seb. Schmidius*, Commentario in poſteriorem Samuelis librum.

XXX. Qvid de infantibus gentilium, eorumqve ſalute, vel ſperandum ſit vel ſtatuendum, non videtur ullo modo enunciare locus, Apoc. XX. 12. *Et vidi mortuos, parvos & magnos, ſtantes coram DEO, & libri aperiebantur & judicabantur mortui ex ſcriptis in libris ſecundum opera ſua.* Eſt, qvi exinde probabiliter colligi ait, Deum per ſcientiam mediam, non excuſſionem mediorum oblatorum in qvibusdam gentilium infantibus prævidiſſe, id eſt, ſub hac conditione, ſi ſervaſſet in vitâ ſuperſtites, obtuliſſetqve illis ordinaria ſalutis media, tum eos non fuiſſe excuſſuros prævenientem illam gratiam, atq; ideò qvoqve præ reliquis, in qvibus id non præviderit, eosdem ſaluti æternæ deſtinaſſe. Id patere ex hoc loco Apocalyptico, ubi omnes ſinguliqve mortales, magni & parvi, adeoqve & infantes gentilium, dicantur judicati ſecundum opera ſua. At opera, actu ſecundo exiſtentia, non habuiſſe parvulos, qvæq; adeò objectum intuitivæ DEI ſcientiæ eſſe neqviverint. Qvare relinqvi, parvulos habere opera exiſtentia in ſcientia DEI mediâ & ſcripta in hunc librum ſcientiæ mediæ. Sed, qvod pace magni viri (qvi tamen ſententiam ſuam poſtea videtur

 mutaſſe)

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/103 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

mutaſſe) dixerim, infirma hæc eſt collectio. Nec enim ſeqvitur: judicati ſunt ſecundum opera; ergo vel exiſtentia, vel extitura. Quin potius ſecundum non exiſtentia, hunc in modum: qvia ſupremus judex in his nulla omninò invenit opera, de fide teſtantia, qvæ habere utiqve debebant, ideò ſententiam tulit, damnandos eſſe. Qvemadmodum parens, peregrè profecturus, ſi ad filios ſuos diceret: redux domum ſecundum opera vos veſtra remunerabo, dicto ſuo ſatisfaceret, ſi & in nihil agentem atq; ignavum debitâ pœnâ animadverteret. Præterea ſi Deus, qvoscunq; media ipſis oblata non excuſſuros prævidit, ſalvaturus eſt, neceſſe eſt, neminem gentilium infantum ſalute excludi, cum nemo eorum, ſi primum atq; principaliſſimum ſalutis medium, nempe baptiſmus, in infantiâ ei offerretur, id excuſſurus eſſet. Cæterum inficiari non poſſumus, per magnos & parvos, qvæ conſveta univerſitatis cujusdam περίφρασις eſt, etiam Johanni, Apoc. XI. 18. XIII. 16. XIX. 5. 18. vulgò omne hominũ genus deſcribi, ſeu ut in Commentario in Apocalypſin loqvitur *Jo. Marckius, referri ad ſtatum externum in mundo, ad donorum gratiæ varietatem, ad corporis magnitudinem, qvin & ætatum annos*; neque rationem ullam eſſe, ut obſervat ad eum locum *D. Kromayerus, cur literam hic nimis claram deſeramus, præſertim cum non apiculus extet, qvi de ſignificatione impropriâ nobis faciat indicium.* Qvi & rationem adfert, quod parvorũ cumprimis fiat mentio: *qvia pars hominum multò maxima in infantili ætate diem ſuum obit.* Futilis verò ratio eſt *Cornelii à Lapide*, qvi infantes ideò excludi ait, quia in Græco μικροὶ vocentur, (qvaſi non & infantes eſſent μικροὶ) & quia mox judicandi eſſe dicantur ſecundum opera, quæ in infantibus non dentur: At & operum defectum intelligi jam ante demonſtravimus; & in infantibus Divinâ ſupernaturali virtute, ut fidem, ita & motus pios exiſtere poſſe Johannis Bapt. exemplum convincit, Luc. I. 44.

Videatur de eo ex inſtituto *Zeibichius* de Præd. Inf. §. XXI. Qvare & ex ipſo loco hoc Apocalyptico: *reſurrecturum eſſe qvemlibet in illâ ætate, in qvâ fuit mortuus*, argumentis non contemnendis fuſè diſputat *D. Gerhardus* noſter, Loco de Reſurrectione mortuorum, §. 87.

XXXI. Itaq;, qvamqvam primore intuitu durior, tutior tamen veriorq; ſententia eſt, infantes gentilium ſpem ſalutis nullam habere; ad qvam tenendam ipsâ librorum noſtrorum Symbolicorum auctoritate adſtringimur. Ita Apologia Aug. Conf. Art. IX. p. 156. *Certisſimum eſt, qvod promisſio ſalutis pertinet etiam ad parvulos. Neq; verò pertinet* (ratione juris proximi & immediati ad beneficia Eccleſiæ, ut rectè *D. Carpzovius* exponit) *ad illos, qvi ſunt extra Eccleſiam Chriſti, ubi nec verbum, nec Sacramenta ſunt, qvia regnum Chriſti tantum cum verbo & Sacramentis exiſtit.* Ecce ſoli Eccleſiæ, ſeu regno Chriſti commiſſa ſunt Sacramenta. Cum verò ſola articulorum, ad ſalutem ſimpliciter neceſſariorum, abſentia, etſi nulla accedat voluntatis contumacia, actu damnationem inferre indubitatæ veritatis ſit, unde gentilium infantes neceſſariâ credendorum notitiâ, (ſine qvâ fides ne concipi quidem poteſt) imbuere intellectum poterunt? Qvi cum in Eccleſiâ, extra quam non eſt ſalus, haud exiſtant, mediis efficiendæ conſervandæq; fidei, utpote verbo & Sacramentis & inſuper promiſſione Divinâ particulari, fidelium ſemini factâ, prorſus deſtituuntur. Nec eſt, qvod cum nonnemine dicas: *juxta ordinarium qvidem judicium infidelitatem damnare: an verò Deus extraordinariè eorum velit miſereri, quos jure damnare poſſet, nihil revelatum eſt in verbo, ideoq; nihil à nobis affirmari poteſt.* Nam Scriptura dicendo: *ſine fide*, qvæ notitiam Chriſti eſſentialiter involvit, *impoſſibile eſt placere DEO*, Hebr. XI. 6. omnes eos damnationi actu adjudicat, qvi non credunt; cui Divinæ voluntati aliam quandam extraordinariam, huic

revelatæ

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/105 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

revelatæ contrariam, qvâ qvosdam incredulos actu damnare nolit, fingere non licet. Si verò de abſolutâ & extraordinariâ, ſi ita loqvi libet, potentiâ ſalvandi duntaxat ſermo eſt, tum qvâ non credentes infantes extra verbum & Sacramenta fidem iis infundendo ſalvare Deus poteſt, eadẽ & poſſe adultos, ſuppoſito merito Chriſti, qvâ ratione nihil privilegii infantibus relinquitur, dubium eſſe non poteſt. Atq; hæc conſideratio periculoſam omninò reddit eam Theologorum ſententiam, quæ probabilem facere conatur infantum gentilium ſalutem. Qvicqvid enim pro horum ſalute adferas, id non minus pugnat pro ſalute gentilium adultorum, ſi virtutibus, quibus ex naturæ viribus ſtudere poterant, operam dederint. Quo pacto pleniſſimus *Edoardi Herberti de Cherbury*, Angli, Naturalismus, à quo hactenus Theologi conſenſu qvodam abhorruerunt, reducetur. Egi hac de re datâ operâ A. *1697*. in Diſputatione *de ſtatu infantium, à gentilibus progenitorum, cum in infantiâ decedunt*. Neq; qui recentius ſententiam contrariam peculiari operâ defenderunt, quidquam attulerunt, qvod in exercitatione iſthac non fuerit eliſum. Acceſſit verò interea meæ meditationi vir ſolidâ ampliſſimâq; eruditione conſpicuus, *Chriſt. Henr. Zeibichius*, luculenta *de Prædeſtinatione & Reprobatione Infantum* Diſqviſitione, anno MDCCIV. in publicum editâ.

XXXII. Nova planè opinatio eſt, qvam ingenti argumentorum apparatu & copia ſtabilire adnititur *P. J. Tilemannus, dict. Schenck*, libro, qvem inſcripſit *Oblationem ſine communione*, qvæq; eò tendit: Paſtorem Eccleſiæ, S. Cœnam adminiſtrantem ac porrigentem aliis, ab ejusdem participatione ſalva conſcientiâ abſtinere non poſſe. Videas ibi in probationum locum advocari & exemplum Chriſti & praxin Eccleſiæ veteris & ſanctorum patrum teſtimonia & rationes plures alias, ex antiqvæ Eccleſiæ ritibus & inſtitutis depromptas; deniq; qvicqvid in contrarium objici poterat, magno conatu & ſingulari

& ſingulari induſtria elidi. Credo tamen, quisquis Tractatum cum curâ legerit, ei vel primo intuitu ſuſpectam fore curioſam illam, & nimiâ conqviſitam diligentiâ argumentorum multitudinem, qvorum nonnulla ita comparata ſunt, ut ex pumice citius aquam, qvam ex illis auctoris ſententiam extorqveas. In novis verò condendis perſvadendisqve ſententiis, non rationum undecunq; arreptarum caterva, ſed concludendi pondera & momenta adducenda ſunt, quæ animum à præjudiciis, antea imbibitis, liberent, non novos in ſingulis argumentis ſcrupulos imprimant menti. Præterea videtur nova hæc ſententia eò directa eſſe, ut animum hominis Chriſtiani à vero & palmario Euchariſtiæ fine & uſu, qui eſt medium eſſe obſignandæ & confirmandæ fidei, deflectat ad finem illum, qvem Eccleſiæ Reformatæ inter primarios numerant, repræſentationem nempe ſpiritualis inter Chriſtum & ejusdem fidei conſortes communionis, quæ clarius oculis objicitur, ſi & Eccleſiæ paſtor, qui in conſecrando diſtribuendoque Chriſti gerit perſonam, unà cum universâ Eccleſiâ idem Sacramentum participet. Quod verò primum principsqve argumentum, quo novitas iſta probetur, eſſe debebat, exemplum nempe Chriſti, qui & ipſe panem ſimul vinumqve in prima S. Cœnæ inſtitutione prægustaverit, id magis infirmis qvam cætera omnia nititur fulcris. Unicum eſt, quod veterum patrum qvosdam commovit, ut Chriſtum bibiſſe de Euchariſtico poculo aſſererent, quod nempe apud Matthæũ c. XXVI. 29. & Marcum c. XIV. 25. hoc ſermone convivium Sacramentale concluſiſſe Chriſtus dicitur: *non bibã à modo de genimine vitis, usq; dum novum illud bibã in regno patris mei.* Quæ verò Lucas, ordinis obſervator, juxta Luc. I. 4. populi Paſchali ſubjecit, c. XXII. 18. Qvod ſi, rejectâ trajectione, bis hæc dixiſſe Chriſtum admittatur, vinum iſtud ſeu genimen vitis ſine omni incommoditate reſpectum ad totum convivium, qvod præceſſerat, habebit, hoc ſenſu: Denuò

repeto, qvod dixeram, ultimum hoc erit ſolenne convivium, qvod in carne verſans, vobiscum celebrabo. Ab hoc enim tempore iſtud genimen vitis, quod partim antea vobiscum in cœna Paſchali bibi, partim qvod inter vos Sacramentaliter nunc diſtribui, non amplius vobiscum bibam, donec novum bibero in regno Patris mei. Nova tamen, ſed ingenioſa prorſus opinio eſt celeberrimi jamdiu variis exacti ingenii ſcriptis viri, *Joannis Faes*, qvi libro, cui titulum præſcripſit: *Chriſtus incœnatus*, c. XV. ſenſum verborum Matthæi & Marci hunc facit: *dixi jam tum ſupra, poſt hauſtum paſchale poculum, me non bibiturum eſſe amplius de genimine vitis, & idem, qvod ante recepi & qvaſi vovi, nunc denuò repeto, vobisqve meam ab hoc poculo Sacramentali abſtinentiam impenſius admirantibus, ejusdemqve cauſam tacitè ſciſcitantibus adhuc dico: me non amplius bibiturum eſſe de genimine vitis.* Probaverat autem c. XI. graviſſimis argumentis *Faeſius*, non bibiſſe Chriſtum de poculo Sacramentali, eò qvod poſt paſchale poculum dixerit, ſe non bibiturum amplius eſſe de genimine vitis, bibiſſet autem, ſi bibiſſet ex Sacramentali; eò quod nec cruci in Golgathâ vicinus, datæ fidei memor, vinum bibere voluerit, Marc. XV. 23. eò quod non ederit de pane Sacramentali, adeoque nec ſumpſerit de vino; eò quod N. T. in uſum teſtatoris non fuerit ſancitum, cum nemo mentis compos & prudens ſemetipſum hæredem inſtituat. Sequuntur ſequentibus capitibus plura alia eam in rem argumenta.

XXXIII. Stoicam gentilitatem ſapit, negare, animam â corpore ſeparatam habere propenſionem ad corpus, ejusq; ſocietatem ei aliquando per ſe fuiſſe moleſtam, aſſerere. Qvod eſt placitum quorundam ex eo genere hominum, qvibus perinde eſt, quâ opinionum inſolentiâ pietatem promoveant. Qvi tamen Stoicismus, hominem ſolâ animâ abſolvi & corpus carcerem ejus eſſe proclamans, jamdiu conſenſu quodam rejectus

jectus â noſtris eſt. Qvod enim in ipsâ creatione conjunctum corpori fuit, id hanc naturam à ſapientiſſimo conditore per creationem accepit, ut corpus ſuum perpetuò amaret, nec ejus conjunctio, niſi per accidens, ei eſſet moleſta, Phil. I. 23. ſed jucunda, qvippe naturalis. Qvomodo una compoſiti pars eſſentialis alteri pariter eſſentiali, moleſta eſſe poteſt? Si nemo unquam carnem ſuam odio habuit, ſed eandem potius curat & nutrit, quomodo anima odiſſe corpus, carnem ſuam propriam, & diſſolutionem ab eo deſiderare, aut ſi diſſoluta fuerit, iſta individui comitis ſui, adverſa æqvè ac ſecunda cum animâ conſtanter ſuſtinentis & nonnunqvam ad ſangvinem usq; martyris, orbatione gaudere poteſt? Chriſtianumne poteſt eſſe gaudium erga jacturam amici tam fidelis & candidi? Cujus ab animâ ſuâ diſſolutionem ipſe Chriſtus exhorruit, Matth. XXVI. 42. qvomodo præſentia ejus & conjunctio ei moleſta eſſe potuit? Separato itaqve per vim majorem, naturæ adverſam, h. e. ſupremi judicis ſententiam, corpore, ad ejus conjunctionem animam perinde propendere rectè creditur, ac homo adempto crure, qvousqve vivit, ejus reſtitutionem unionemq;, quamquam crus ipſum corruptum diu & in pulverem redactum ſit, deſiderat; & donec anima corpore potiatur, in gaudio cœleſti, ſibi conceſſo, ſvaviſſimè penitiſſimeqve acquieſcit.



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/109 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

# THESES
## EX
# THEOLOGIA MORALI
## DEPROMPTÆ.

### I.

QVamqvam ſecundum communiorem veriorem qve ſententiam tota Theologia noſtra, qvâ ex credendis & agendis conſiſtit, καθ' ἀναλογίαν practica ſit, id eſt, moralis, nihil tamen impedit, eam ejus partem, qvæ ipſas πράξεις Chriſtianas, id eſt, virtutes & opera, vi legis Divinæ à nobis reqviſita, intuetur & conſiderat, particulariter Moralem vocari; qvia non tantum pro fine habet praxin, ut reliqva Theologia, (qvæ ideò & Theoretica latiori ſignificatu dicitur) ſed actiones ipſas, qvæ partim ad finem illum tendunt, complectitur. Nempe univerſæ Theologiæ finis eſt viſio DEI beatifica, in qvâ, tanqvam actione omnium nobiliſſimâ, ſummum hominis bonum conſiſtit. Impetratur autem finis ille per medium practicum, ei medio, qvod in Philoſophiâ ſummæ felicitati civili ſubordinatur, qvodammodo, non tamen in omni ratione ſui, ſimile. Nimirum per fidem, quæ duplici modo ἀναλογικῶς practica eſt; primò, in qvantum Divinam gratiam, ſpem nobis ad viſionem DEI glorioſam parantem, apprehendit, tenet, in eam fiduciam pectoris ſui omnem, contra Diabolum, mundum, peccatum, carnemqve propriam collocat, nec cœlum ſe terramqve avelli ab illâ patitur. Qvæ omnia πρακτικὰ ſunt, non θεωρετικά. Ita B. *Kœnigius*, art. de Fide, §. 999. *Apprehenſio fidei non theoretica eſt & nudè aſſenſitiva, cum qvis in intellectu ſuo pro indubitato habet, Chriſtum pro ſe eſſe mortuum, ſed practica, qvæ totius cordis & voluntatis in merito Chriſti recumbentiam involvit.*



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/110 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Atqve hoc pacto fides juſtifica eſt & ſalvifica. Secundò, qvatenus homo virtute fidei bonum, tenaciter apprehenſum, ſummo amore, & ob illud qvoqve hominem, proximum ſuum, complectitur, utrumq; verò mandatis â DEO & naturæ congruis officiis, qvæ morales virtutes, ſeu opera bona, vocantur, proſeqvitur. Moralis itaqve Theologia εἰδικῶς dicitur, qvæ in hæc ſeſe officia diffundit, eaqve ex principiis ſuis & delineat & homini, qvantum in ſe eſt, inſtillat. Ut autem in practicâ Philoſophiâ actio virtutum veram virtutum notitiam, qvæ praxeos regula eſt, ſupponit, & ſine accuratâ virtutum notitiâ virtutes mera ſunt virtutum ſimulacra: ita & in Morali Theologiâ ſe res habet. Operibus bonis ſtudere & non antea ſolidè ſcire, qvæ ad opus verè bonum ex Divini verbi regulâ reqvirantur, ſuperſtitionem meram generat & virtutis potius Theologicæ ſpectrum, qvam virtutem ipſam. Qvod diſertè inſinuat Chriſtus, Matth. XV. 9. & Paulus, Col. II. 23. Nec obeſt, qvod Servator ipſe hunc ordinem videatur invertere, dicendo: *Si qvis voluerit voluntatem Patris mei facere, cognoſcet de doctrina meâ*, Joh. VII. 17. Nec aliter ferè *Origenes*, vel qvisqvis eſt auctor commentarii in Leviticum, eidem adſcripti, Homiliâ v. in Cap. VIII. *Si ſit aliqvis naturæ florentis & ardentis ingenii, non continuò aptus videbitur ad ſuſcipienda verbi myſteria, ſed qværitur etiam hoc, ut prius â profanis actibus & immundis operibus ſeparetur; & ita demum eruditionis capax fiat, ſi prius capax fuerit ſanctitatis.* Nam Chriſtus de γνῶσει, ſeu notitiâ experimentali loqvitur, qvæ cum ex principio ſuo jam eſt deducta, hanc ipſo cognitæ rei ſenſu firmat roboratqve, ceu cum Philoſophus diceret: ſi qvis incertus, utrum in morum doctrinâ Ariſtotelem ſeqvatur, an Epicurum, ipſo opere virtutibus, ab Ariſtotele laudatis, ſtudere voluerit, cognoſcet & experietur, an ex ſanæ rationis dictato procedant, an ex cerebro Stagiritæ? Origenes verò nihil aliud dicit, qvam

non poſſe cognoſci ab homine Chriſtiano Divina myſteria, niſi abjectis primo erroribus & vitiis, intellectum occupantibus atqve impedientibus, qvo minus veritas virtusque in eo locum occupare qveant. Qvomodo enim doctrinam de uno Deo, eoq; unicè adorando, homini gentili implantare poteris, niſi primò ille ab idololatriâ innumerorum Deorum recedere velit & profanis, quos circa illos exercuit, actibus, nuncium mittere? Nec enim Deus animum hominis ingredi poteſt, niſi exierit primò diabolus, nec caſtitas & temperantia locum in voluntate habere, niſi eandem ab immundis primò operibus liberaveris. Sanctitatem vocat hanc expurgationem *Origenes* improprio planè ſenſu & abuſivo.

II. Nunqvam accedere ad S. literarum lectionem Theologiæ cultor debet, niſi præviâ ſeriâ animi ſui pœnitentiâ & flagrantiſſimâ nominis Divini invocatione. Impius ſit & profanus, imò gentili deterior, qvi de hac veritate dubitet. Qvomodo enim accedere ad Deum, tecum loqventem, poteris, niſi exutis ſordium carnis tuæ calceis & induto reverendo erga tantam majeſtatem timore? Non eſt Scriptura leviter habenda, aut tractanda, ut libri profani. Præclarè *Lutherus*, ſermone in Jerem. XXIII. Tom. III. Altenburg. Es iſt mit GOTTES Wort nicht zu ſchertzen. Kanſtu es nicht verſtehen / ſo zeuch den Hut vor ihm ab. Es leidet keinen Schimpff / noch keine Menſchliche Deutung / ſondern es iſt lauter Ernſt da und will geehret und gehalten ſein. Ubi itaq; jocum riſumq; ex Divinis oraculis fabricari videris, (ut qvidem ei hominum furfuri, qvod Indifferentiſtas, Pietiſtarum tamen ſuperbo nomine glorіantes, vocamus, ſolenne eſt) ſi tuæ ſint conditionis, qvi id faciunt, ſeriâ admonitione periculum illis, in quod ſe vel imprudentes vel malitioſè præcipitant, repræſenta; ſi te majores, vel oculorum demiſſione, vel contractione vultus, vel, ſi fieri poſſit, maturo ſeceſſu diſplicentiam tuam teſtare.

Eſt

Eſt enim Deus ignis conſumens, *καὶ ὀ μυκτηρίζεται*, *nec impunè ludibrio ſannisq́ unqvam excipitur*, Gal. VI. 7. Eqvidem & qui polluto variis ſceleribus animo ad Scripturæ nonnunqvam lectionem accedunt, ſi imprimis ingenii præ cæteris polleant felicitate, per Spiritum tamen, in Scripturâ latentem, ad cœleſtium veritatum agnitionem, etiam cum aſſenſu conjunctam, eamqve ſæpe ſummam atqve excellentem, provehi, ipſâ experientiâ edocemur. Sed his cum Divinum verbum fiat *odor mortis ad mortem*, II. Cor. II. 16. qvid exitium animæ tuæ architectaris tibi ipſe? Qvi verò accenſâ primum per verbi lectionem pœnitentiâ, eâq; dein per qvotidianum vitæ ſuæ examen & inſtitutam novam apud Deum deprecationem, repetitâ, animum ſuum à peccatis exonerat, & hac viâ qvaſi purgativâ *incapacitatem & obſtaculum remiſſionis peccatorum, ſcilicet opinionem non indigentiæ & ſtudium pergendi in peccatis, removent*, ut in fronte Phænomeni XI. loqvitur *D. Danhauerus*, is & ſenſum Spiritus faciliori opera percipit & inæſtimabilis fructus, qvi in eo latet, redditur particeps, & Eccleſiam olim ſuam longè ſalubriori, qvam cæteri, ædificatione beat. Piè verèq́; *Hier. Savonarola* libro V. de ſimplicitate vitæ, c. XV. *Chriſtianus, qvi lumen ſupernaturale habet*, id eſt, per Spiritum Dei in doctrinâ Chriſtianâ jam eſt illuminatus, *ſi purgatus mente*, (ita circumloqvitur ſeriam ob peccata contritionem, impetratamq; per fidem peccatorum remiſſionem, *qvippe qvâ corda purificantur*, Act. XV. 9.) *cum omni humilitate Scripturas Apoſtolorum & Prophetarum legerit & legendo meditatus fuerit & meditando pro earum intelligentiâ Deum oraverit, & non currendo, ſed immorando in diverſis locis contemplatus fuerit, miro modo ad ſupernaturalia elevabitur & inveniet delectationes æternas, qvæ ſuperabunt omnes hujus ſeculi voluptates.* Hæc intimis ſenſibus veſtris recondite, ô lectiſſimi Theologiæ cultores!

III. Amandum eſſe Deum & amandum eſſe ſuper omnia



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/113 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

& amandum ſemper & amandum exqviſitiſſimo intenſiſſimoqve amore eſſe, ita dilucidè in ſacris mandatum eſt, ut ſtupendum ſit, inveniri poſſe, qvi hoc negent. Quomodo enim & qvibus aliis verbis ex. gr. obſeqvium ſervo tuo omnium ſummum & exactiſſimum imperare poſſes, qvam qvæ de amore ſui enunciavit Deus, dicendo: obedies hero tuo ex toto corde, ex totâ animâ, ex toto pectore & omnibus viribus tuis? Et tamen tanta eſt Moraliſtarum Pontificiorum impietas, ut amorem erga Deum non præcipi homini ſpecialiter, ſed conſeqventer tantum & indirectè, in qvantum id faciendum ſit, qvod Deus præcepit, aſſeverent. Qvo pacto Phariſæi etiam minima legis implentes, omnium maxime Dei amantes fuerint, neceſſe eſt. Nec inter Jeſuitas deeſt, qui ſcribat: *vide bonitatem Dei; non tam præcipit amorem ſui, qvam odium vetat, ſive formale & actuale, quod non humanum ſed diabolicum eſt, ſive materiale, qvod in transgreſſione mandatorum poſitum eſt.* A qvâ ſententiâ non multum abſunt, qvi diſtingvunt inter amorem DEI intenſivum, qvem mandatum eſſe negant, & appreciativum, cujus virtute obſeqviis præceptorum DEI nihil debeat præponi. Qvemadmodum interdum maritus intenſivè plus diligit pulchellum catulum, qvam uxorem deformem, ſi tamen alterutrum horum amittendum ſit, jacturam potius canis qvam conjugis facit, adeoq; appreciativè, ut barbaro ſcholæ termino utamur, magis conjugem amat, qvam catulum. Hoccine eſt amare Deum ex toto corde & animâ & pectore & viribus, non odiſſe Deum? Sed verò talia effugia comminiſcenda ſunt iis, qui præcepta Divina hominem perfectè implere poſſe contendunt, ut nempe nervi incidantur præceptis, qvo minus præcipere id videantur, quod reverâ præcipiunt. Non abſimilem in modum hodie ii, qvi acuendæ pietatis ſtudio hominem in hac vitâ ad renovationis perfectionem, ſupremæ proximam, pervenire poſſe contendunt,

dunt,

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/114 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

dunt, inter legem Moſis & legem Chriſti diſtinguunt, atque hanc, quia peccata tantum malitiæ prohibeat, ità deſcribunt, ut cum eadem gravia delicta, ſehr grobe Fehler und ſchreckliche Sünden/ wiſſentliche/ vorſetzliche und muthwillige Sünden/ wann man ſie auch behält/ biß in den Todt/conſiſtere poſſint. Qvæ ſi vera eſſent, qvemadmodum Pontificii vi ſuæ hypotheſeos ad eam perfectionis ἀκμὴν facili operâ perveniunt, ut non implere tantum legem, ſed plura præſtare poſſint, quam illa reqvirit; ita hi Perfectistæ tantum legi Chriſti obſeqvium præſtare nullo negotio poſſunt, ut qvædam peccata proæretica & horrenda devitent, qvæ per legem tamen Chriſti devitare ſub æternæ damnationis periculo non tenerentur.

IV. Deberi ab homine aliqvam S. Angelis reverentiam & honorem, planè indubitatum eſt. Qvis enim probè gnarus, S. Angelos DEI juſſu ſe rebus humanis ſubinde ita ingerere, ut exercituum inſtar caſtra circa pios quaſi metentur & in congreſſibus imprimis publicis, quæ in Eccleſiis fiunt, freqventer compareant, qvis, inqvam, ſanctiſſimorum horum & nobiliſſimorum ſpirituum faciem, quamqvam nobis occultam, non revereatur? Qvis in conſpectu eorundem peccare, Deumq́ audeat offendere? Qvis non potius ita ſe gerere, ut pietatem illi ipſius deferre ad Deum, eiq; commendare, in ſummâ voluptatis parte ponant? Placet ideò mihi eximiè accuratiſſimi *Schomeri* noſtri inſtitutum, qvi ſpeciali Theologiæ Moralis parti, novo planè exemplo, officium hominis Chriſtiani addidit erga S. Angelos & cœlites, cum illud æqvè legibus Divinis ac officia reliqva univerſa contineatur. Communis de cætero ſententia eſt, & hoc ab Apoſtolo intelligi, cum velari jubet mulieres, *propter Angelos*, I. Cor. XI. 10. ne ſi illi paſſos earum capillos cincinnosq; delicatulos, circum caput haud aliter ac hodierna illa virorum, vaſta & prope terribilia, capillamenta, (qvæ in viris, veterem illam mulie-

rum Corinthiacarum mollitiem, ſicut noſtrarum fæminarum tecta, non mitris, ſed turribus, innumeris faſciarum fimbriis benè comptis munitisque capita adſcendentem ſupra viros poteſtatem, qvam Apoſtolus τὴν ἐξουσίαν nominat, citra dubium arguunt) fluentes adſpiciant, intra animum veluti ſuum contriſtentur, qverelamqve ideò inſtituant apud DEUM. Refert quidem *D. Abr. Calovius*, B. *D. Jo. Hülſemanni* ex MSCto circa hunc locum ſententiam, quam non inconcinnam vocat, à communi planè diverſam, qva ordinem potius & dignitatem angelorum, qvalis & in viro, reſpectu Dei, & in muliere, reſpectu viri, prædicata ante fuerit, qvam præſentiam illorum & cenſuram, ab Apoſtolo reſpici contendit. Hoc nempe ſenſu: *oportet fæminas ſignum ſubjectionis portare, propter angelos, ſc. tanqvam ordine & dignitate ſuperiores, non verò, qvod cenſores & teſtes morum & pudicitiæ & conſeqventer conſcii omnium actionum noſtrarum ſint.* Qvam novam opinionem ex eo probat, qvod totus contextus non agat, niſi de ſuperioritate ordinis, in creatione à DEO conſtituti, adeoq; hic non diverſa, ſed fortior tantum in eodem genere pro ſubjectione mulieris, etiam in ordine ad angelos, ratio adferatur. Cui ſi nos communiorem præferamus, Pontificiorum ſuperſtitioni, qvi adorandos eſſe angelos docent, nullo modo patrocinamur, quipppe quæ adoratio diſerte prohibita eſt Matth. IV. 10. Recentius circa h. l. εὕρημα eſt *Jo. Clerici*, qui textum: διὰ τοὺς ἀγγέλους, corrigit, mutatq; in: διὰ τῆς ἀγγελίας, *propter annunciationem*: per id nempe tempus tectum debet eſſe mulieris caput, quo illa pronunciat, quæ revelata ei ſunt. Qvæ conſveta *Clerico* textum immutandi prurigo ut temeraria eſt & periculoſiſſima: ita nec de cætero applauſum à qvoqvam inventum ipſum, (qvantumlibet illud adverſus jam natum ipſi antagoniſtam qvalitercunq; defenderit) meriturum eſſe, planiſſimè ſum perſvaſus.

V. Nullus

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/116
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

V. Nullus fidei noſtræ articulus eſt, qui fortius nos ad recuperandam primævam noſtram felicitatem commovere queat, ac is ipſe, qvi ſtatum illum primævum, ex omni parte beatiſſimum nobis repræſentat. Verè hic obtinet illud, quod Spiritus ad angelum Eccleſiæ Epheſinæ olim perſcripſit; *memento, unde excideris, & fac pœnitentiam ac priora perfice opera*, Apoc. II. 5. Iniqui equidem in incomparabiles Timothei, quem vulgò cum *Euſebio* primum Epheſiorum Epiſcopũ faciunt, virtutes ſunt, qui illud, tum ei adhuc viventi & à priſtina contra hæreticos & pſeudo-Apoſtolos ſeveritate in ſenio haud parum remittenti, exprobratum fuiſſe contendunt. Tantumne ſcelus & infamia, ad æternam viri memoriam ipſis S. literarum monumentis inſerta, præſumenda eſt de viro, de qvo Paulus ſcripſit: *neminem habeo adeò unius pectoris & unius animæ mecum, qvique adeò ingenuè veſtri agat curam. Cæteri ſua qværunt, non Chriſti; hujus verò ſummam integritatem noſtis ipſi, quod mihi ceu filius patri in Evangelio ſerviverit*, Phil. II. 20. 21. 22. commentoq; fides habenda, etſi divulgato ſine auctore, ſine conſule, ſine die? Nec verò probari ullo teſtimonio poterit, Timotheum ordinarium Epheſiorum Epiſcopum fuiſſe, quippe quo Paulus, tanquam ſecundario quodam Apoſtolo, ad plantandas plurimas Eccleſias fuerat uſus, quarum omnium ordinarius Epiſcopus eſſe non poterat, & de cujus morte nihil indubitati apud veteres reperitur. Quâ de re fuſè ſolideq; *Calovius* noſter, principio Commentarii Anti Grotiani in epiſtolam priorem ad Timotheum. Ad quemcunq; verò ſcripta fuerit acris illa objurgatio, nobis hodie eam dictam eſſe meminerimus univerſi. Faciamus primæva illa, quæ è Divinâ imagine emanabant, opera. Agamus non pœnitentiam tantum, ſed fructus dignos pœnitentiâ. Reſpiciamus retrò, è quo ſtatu exciderimus, ut ad eundem iterum redeamus. Nihil tum perfectius, nihil beatius immaculatâ illâ in mente hominis



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/117 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Divinorum myſteriorum erat notitiâ. Nihil exquiſitius & intenſius Dei & proximi amore. Nihil felicius loco amœniſſimo, qui ab ipſa voluptate appellationem habebat. Nihil abundantiſſimo rerum omnium affluxu. Nulla in eo ſtatu paupertas aut indigentia, ſed copia rerum omnium, non ad vitam tantum, ſed & ad delicias neceſſariarum. Nulla ab ullo periculo exteriori formido, nullus animi corporisq; morbus, nulla membrorum imbecillitas, ſed perpetuus corporis & virium ejus vigor & ſanitas; quæ quantum quamq; inæſtimabile bonum ſit, ipſâ nunc, dum hæc ſcribo, ejus jacturâ, heu! experior. Nullus dolor animi & triſtitia, ſed perpetuum gaudium & delectatio. Nulla ſenectus, ſed nunquam interrupta juventus. Nulla agrorum ſterilitas, nulla incendia, aut aquarum inundationes, nulla bella aut calamitates, ſed bonorum omnium abundantia; & in his omnibus ſumma animæ & conſcientiæ tranquillitas & perpetua cum angelis Deoq; converſatio. Hæc tanta bona ut poſtliminiò adipiſcamur, eò tendamus, unde excidimus; *exuamus veterem hominem, concupiſcentiis corruptum. Renovemur verò ſpiritu mentis noſtræ & induamus novum hominem, creatum ſecundum Deum in juſtitiâ & ſanctitate veritatis*, Eph. IV. 22. 23. 24.

VI. Deteſtanda quidem eſt Chriſtianis mentibus Probabiliſtarum in Papatu doctrina, qua delinquentium ſcelera quævis & flagitia elevant, peccatis quibuslibet decumanam aperiunt portam, turpiſſima quævis, conquiſitis febriculoſis prætextibus, veluti fuco & ceruſſa quadam obducta, incautis mentibus propinant & inſtillant, deniq; ut ſummatim dicam, ſcelera auctoritate fidei docere non erubeſcunt. Qvorum ſumma quidem principia ſequentibus continentur regulis. Prima: *Probabilis omnis opinio, etiam falſa & legi Divinæ contraria, à peccato coram Deo excuſat.* Ut verò, quid ſit probabilis opinio,

opinio, ſtatim eniteſcat, ſuccedit regula ſecunda: *Probabilis opinio eſt, qvæ certitudinem non habens, vel gravi auctoritate, qvalis eſt unius viri docti & probi, vel non modicâ ratione nititur.* Ex. gr. cum qværitur: an liceat poſt impactam alapam percutientem inſeqvi & interimere? reſpondet *Eſcobar*, auctoritate nixus unius viri, Leonh. Leſſii: *Licere ſpeculativè, qvia qvamdiu damnum illatum manet in ſuſpenſo, ſemper eſt locus defenſioni; ſed in praxi non conſulendum, ob periculum odii, vindictæ & exceſſuũ pugnarum.* Licet nempe, ſi clam fieri poſſit, nec ſit divulgationis periculum. Sed audiamus regulam tertiam: *E duabus propoſitionibus probabilibus minus probabilem & minus tutam amplecti licet.* Unde conſeqvuntur duo alia conſectaria; primum: *Licere Theologo ex opinione probabili, qvam falſam putet, conſilium dare*, ſecundum: *Licere cuivis varios adire Caſuiſtas, qvoad repererit, qvi ad libitum reſpondeat.* Hem, qvæ morum licentia & qvidlibet audendi poteſtas non invaleſcet, ſi hæc informandi licentia acqviſiverit vires! Succedit regula alia: *In rebus illicitis, ubi actus impediri non poteſt, ſaltem intentio ita dirigenda eſt, ut actionem per ſe nocentem emendet finis innoxius.* Qværitur ex. gr. an vir militaris, provocatus ad duellum, non obſtante interdicto comparere poſſit? reſpondet *Hurtadus*: poſſe, ſi adſit bona intentio, nimirum voluntas cavendi, ne exiſtimetur ab exercitu gallina & non vir. Adjiciamus regulam adhuc unam: *Non committitur peccatum, ſaltem propriè dictum & imputabile ad culpam, ſine libero voluntatis conſenſu. Liber autem voluntatis conſenſus haud cenſetur, niſi anteceſſerit cogitatio de Deo vel peccato.* Profluxit ex hac regulâ decantatiſſimum iſtud, atq; Janſeniſtis, perpetuis Jeſuitarum in Probabiliſmo adverſariis, toties hodie Pontifici denunciatum, peccatum Philoſophicum, de quo theſis Divione primum A. MDCLXXXVI. propoſita hæc erat: *Peccatum Philoſophicum eſt actus humanus, diſconveniens naturæ rationali & rectæ rationi. Theologicum verò &*

*mortale eſt transgreſſio libera legis Divinæ. Philoſophicum in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neq; peccatum mortale, diſſolvens amicitiam Dei, nec æterna pœnâ dignum.* Hæc ἀκούσματα ſi in Romanâ Eccleſiâ obtineant, planè mirum amplius non eſt, tot in ſolâ Rom. Eccleſiâ reperiri ſanctos, cum poſitis illis probabilitatis principiis legem Divinam facilius ſit implere, quam vulpes pyrum comeſt. Utinam verò nec in noſtrâ Eccleſiâ forent, qui ſaltem in praxi peccantium ſcelera extenuarent: de quibus jam olim graviter *Cyprianus*, ſermone de lapſis: *qui peccatum blandimentis adulantibus palpat, peccati fomitem ſubminiſtrat, nec comprimit delicta ille, ſed nutrit.*

VII. Illa doctorum Eccleſiæ dona, quæ vulgò vocantur miniſtrantia; ut ſapientia ſummorum Dei myſteriorum, ſcientia eadem ſolidè ornatèq; proponendi, notitia variarum linguarum, quibus arcana DEI quaſi recluduntur, dexteritas interpretandi Scripturas, & alia id genus, quæq; in irregenitos non minus, quam regenitos cadunt, Matth. VII. 22. XXIV. 24. Apoſtolus æq; ac dona ſanctificantia, χαρίσματα πνευματικὰ, *dona ſpiritualia* nominat, 1. Cor. XII. 1. eademq; non minus, quam illa ſanctificantia, non ex naturâ, ſed ex gratiâ Sp. S. proficiſci diſerte profitetur: *Omnia illa operatur unus idemq; Spiritus & diſtribuit ſingulis, ſicut vult*, v. 11. Huic doctrinæ è diametro contraria eſt illa, qua aſſeritur: omnem ſcientiam doctoris irregeniti nonniſi naturæ donum eſſe, atq; adeò Eccleſiæ miniſtrum, haud regenitum, quippe DEI Spiritu deſtitutum, Eccleſiæ ſuæ meram literam prædicare, und ſeye alles/ was er prediget/ eitel Winde und Wort. Quomodo enim aliis mentem Spiritus S. ex Scripturis aperire poſſit, qui ipſe Spiritum Chriſti non habeat? Horrenda verba ſunt, quæ B. *D. Hinckelmanno*, qui aſſeruerat, veram & orthodoxam eſſe in Eccleſiâ & Miniſterio Hamburgenſi doctrinam, Fanaticus tenebrio

tenebrio in der ſo genandten Stim̃ des Hertzen oppoſuit: nun giebet er ihnen ein ſolches groſſes Zeugnüß / daß weder directè noch indirectè eine falſche Lehre in die Hamburgiſche Gemeinde eingeführet ſeye / da er doch Krafft der Göttlichen Prædicatorum, ſo von den wahren Prieſtern GOTtes ausgeſprochen werden / leichtlich hätte ſchlieſſen können / daß bey ſolchen gehäßigen bittern Predigern der Heil. Geiſt / als der Geiſt der Sanfftmuth und Wahrheit / nicht wohnen können / und daß ohne ſolchen Heiligen Geiſt keine Theologiſche Wahrheit im Geiſt könne erkannt werden. Haben ſie aber nicht den Geiſt der Wahrheit in ſich wohnend / wie wollen ſie dann die Wahrheit lehren? Nihil periculoſius eſt his ejusmodi loquendi formis, ſi vel maximè animo nonnunquam haud malo proferantur. Quid enim facient auditores, ſi perſvaſi fuerint, paſtorem ſuum eſſe irregenitum? Nihil aliud niſi ventum inanem & verba evanida, non veritatem prædicare? Mentem ipſis non Spiritus S. ſed ſuam, quæ carnalis ſit & mundana, recludere? Fugere eundem potius tenentur, quam audire. Qvæ hæc erit in Eccleſiâ confuſio? Quæ conſcientiarum perturbatio? Et quis præſtabit, ut auditor miniſtrum verè regenitum ab hypocritâ, qui illum artificioſiſſimè mentitur, qvorum è numero plurimi ſunt, qui alios omnes præter ſe tanqvam carnales omnibus paginis & occaſionibus traducunt, diſcernat? In perpetuâ itaq; fluctuabit dubitatione, utrum ventum audiat, an Spiritum? Utrum carnalis mundi deliria, an mentem Chriſti? Vide, quo cruda illa, quæ nonnunqvam immoderatus erga peſſimos miniſtros zelus bonis etiam viris extorquet, effata tandem deducant? Cæterum non eſt omni ex parte DEI Spiritu orbatus irregenitus Eccleſiæ miniſter. Non habet eundem ſe in eventu ſanctificantem, habet tamen ſe in operando illuminantem & donis ſuis ſpiritualibus, i. e. a Sp. S eum ipſum in finem, ut per illa & alios & ſemetipſum convertat,

tat, inſtruentem. Non abſurda hæc ſunt. Nam & regenitus ipſe habet ex eâ parte Spiritum S., qvâ eundem regenerat & ſanctificat; non habet, quâ eundem ad perfectionem in hac vitâ abſolutam deducat. Sanctitas hominis regeniti eſt à Spiritu S., imbecillitates adhærentes à carne. Non, quem ad hunc, etiam eminentiſſimum, eumque ad converſionem ex intentione Divinâ tendentem, gradum illuminat, is ſtatim actu ipſo convertitur & ſanctificatur, culpâ non in Dei Spiritu, ſed hominis malitiâ reſidente. Nec tamen, quia miniſter non regeneratur, ideò Spiritus S. illum non illuminavit, aut per notitiam ipſi ex verbo conceſſam convertere non intendit. Imò ideò illuminavit, ut regeneraret, fine ſuo miniſtri pertinaciâ fruſtratus. Non habet irregenitus miniſter mentem Chriſti, à ſe fide receptam & in uſum animæ ſuæ ſalutarem traductam. Habet tamen eandem in mente ſuâ conceptam, cum dono, eandem aliis rectè proponendi. Qvid enim mens Chriſti aliud eſt, quam Divinorum de ſe myſteriorum verus genuinusq; ſenſus? Qvi dum ex Scripturâ depromitur, aliis aperitur & revelatur. Nec enim alia eſt mens, alius ſenſus Chriſti, qvã quem ſimplex litera Scripturæ recto ordine legenti & audienti repræſentat. Aut fortè præter Scripturam, aut cum Scripturâ, aliam immediatè, non per literam, ſed per mentis ſuæ perſvaſionem, verè Fanaticam, regenitis mentem inſpirat? Inſpiret certe neceſſe eſt, niſi mentem illam non cum Scriptura, ſed per Scripturam, ejusq; ſenſum literalem, qvippe qui unicè menti ſcribentis exprimendæ natus factusq; eſt, revelet. In eo duntaxat differentia eſt, qvod mentem Chriſti ad uſum ſuum transfert regenitus, irregenitus non item. Qvemadmodum judex & juſtus & injuſtus veram Imperatoris mentem ex legum tenore exactiſſimè nouit, ſed juſtus cum ſalutari uſu, injuſtus cum deterrimâ corruptione. Niſi judex injuſtus de vero animo Imperatoris ex legibus & miniſter irregenitus de

mente Chriſti ex Scripturâ certus eſſet, neuter contra conſcientiam peccaret, ſi adverſus leges Imperatoris & Chriſti delinqueret. Qvod qvam abſurdum ſit, nemo non animadvertit.

IIX. Morem iſtum verè Chriſtianum ſanctumq;, ad auditum nomen Jeſu, vel genuum flexione, vel retectione capitis, vel qvocunq; alio exteriore ſigno, Salvatori humani generis reverentiam, Divinæ perſonæ debitam, publicè teſtandi, mirum eſt, à qvoqvam hominum poſſe arrodi, immò odio haberi. Qvamqvam enim ſingulis perſonis Divinis ex æqvo debeatur honos Divinus, adeoq; capita eodem jure aperiri Patri, publicè nominato, ac Filio debere, nec ulla eſſe ratio videatur, cur ad nomen Jeſu potius, quam aliud quodvis Chriſti nomen, quorum innumera ſunt, nomen imprimis Salvatoris, qvod cum nomine Jeſu idem planè ſonat, externam illam Chriſto ceremoniam exhibeamus; tamen è veſtigio ceſſabit hic ſcrupulus, ſi cogitaverimus, nomen Jeſu Grammaticè Chriſto proprium eſſe, (qvod de nullo alio Chriſti nomine dici poteſt) inq; eo comprehendi univerſam ſalutis noſtræ œconomiam, ut adeò eo audito feramur illicò in conſiderationem miſerrimi ſtatus, cui per lapſum involuti eramus, & è contra ineffabilis ejus felicitatis, quæ ſanguine nobis Chriſti θεανθρώπου & acerbâ morte acqviſita eſt. Hoc cum Judæi, gentilesq; & ea Chriſtianorum turba, quæ Chriſtianorum nomen ſummâ cum injuriâ gerit, negent pernegentq;, DEO verò Patri, qvem ſolum verum DEUM exiſtimant, Deitatis honorem relinqvant, quid iniqvi agimus, ſi diſſenſum noſtrum à profano hoc hominum genere, amoremq; erga Servatorem noſtrum non fucatum, teſtaturi, quoties aureum ipſius nomen pronunciatur, auditurq;, externi ritus humilitate declaremus, qvantoperè à nobis æſtimetur beneficium, qvod nonniſi à vero æternoq; DEO, humanâ carne veſtito, profluere in nos poterat? Qvis niſi inimicus omni pietati

invideat, ſi Filium Dei, omnium bonorum noſtrorum fontem, honoremus, cum qvi honorat Filium, honoret & Patrem? Et qvicqvid honoris impenditur Filio, ad ſalutem generis humani in mundum miſſo, id non poſſit non redundare & in Patrem, Filium generantem, & in Spiritum S. hunc nobis theſaurum communicantem. De his enim in V. T. dixit Servator noſter: *Dominus miſit me & Spiritus ejus*, Eſ. XLIIX. 16. Probabile eſt, extenſum jam olim hunc honoris Divini ritum & ad Spiritum S. poſtquam de ejus Divinitate litem movere in Eccleſiâ Macedoniani cœperunt. De qvo verò idoneum antiqvitatis teſtimonium mihi non eſt in promptu. Sunt inter Theologos noſtros, qvi Chriſto per modum præcepti aſſeri hanc externam reverentiam in illuſtri Pauli loco, Phil. II. 10. arbitrantur; idq; vel qvia vox nominis ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ, cum articulo poſita, ſupponatur materialiter, & in nomine Jeſu genua flectere ſit, auditâ prolatione nominis Jeſu, ad morem Romanum, qui ad illuſtrium perſonarum nominationem honoris indicia ediderint, adorationis cultum Chriſto præſtare; ceu in Hodoſophia & Hodomoriâ Calvinianâ ſenſit *D. Dannhauerus*, qvem in Syſtemate ſecutus eſt *D. Schertzerus*, præceſſeruntq; *D. Feuerbornius* & *D. Brochmandus*, aliiq; vel certè, quia ex ſenſu loci moris illius ſanctitas rectè deducatur, quâ in opinione è noſtræ Academiæ doctoribus eſſe *D. Eilh. Lubinum*, commentariolo in epiſtolam ad Philippenſes, & *D. Mich. Siricium*, in Collegio, ut vocat, Theologico publico, deprehendo. Qvicqvid ejus ſit, non illaudabile tantum, ſed nefandum eſt, à Calvinianis, intempeſtivo ſapientiæ typho inflatis, morem hunc non damnari duntaxat, ſed publicâ pœnâ coërceri. Exemplum ejus rei enarrat *Jo. Wolffius*, JCtus, ad ſeculi XVI. annum MDXCV. *Hoc tempore*, inquit, *in loco N. qvidam manuarii opificii juvenis, cum in concione ad mentionem nominis Jeſu Salvatori ſuo debitum exhibuiſſet honorem, à concio-*

*nante*

*nante propterea vehementer increpatus, & cum non pareret, à lictoribus prehenſus ac per triduum in carcerem detruſus fuit.* De quo facto ſcitum *Wolfii* judicium pariter adſcribemus: *Hæc*, inqvit, *eſt ultimæ ſenectæ perverſi hujus mundi & in reprobum dati ſenſum pervicacia, ut homines impietate & malitiâ etiam diabolos ſuperare contendant atq; minus honoris atq; reverentiæ præſtent Deo, Chriſtoq; redemptori ſuo, qvam de ipſo Satanâ memorarunt veteres. Nam in vitis Patrum & in Speculo exemplorum reperitur, qvod diabolus aliqvando ingreſſus templum & videns qvendam ad pronunciationem nominis Jeſu non incurvare ſe, nec aperire caput, alapam ei infregerit & ſummatim ingratitudinem exprobraverit.* Addit verò inſulſum iſtum concionatorem acriori reprehenſione caſtigare: *ſi qvis*, inqvit, *ejusmodi concionatorem forte in plateâ obviam haberet, aut compellare vellet & non aperto humiq; demiſſo capite prolixam ad pedes usq; deferret ei reverentiam, annon putas, apud eum ſtatim anathematis reus fieret? Cujus ergo Spiritus filii ſunt iſtiusmodi Chriſtomaſtyges, pius lector judicet: & videbunt illi tandem, in quem pupugerunt.*

IX. In doctrinâ Lutheranâ de electione eorum ad vitam æternam, qvos Deus ad deſtinatam oblatamq; ex toto animo omnibus ſingulisqve hominibus fidem credituros prævidit, deq; eorum è contrario ad æternos ignes reprobatione, qvos præcognovit, gratiam, fidem offerentem, repulſuros eſſe, nihil planè eſt, quod non animum pium, Deiqve reverentem, ſumma delectatione recreare, improbos verò & Dei contemptores ad pœnitentiam & vitæ emendationem fortiter allicere & commovere qveat. Qvid enim ſvavius eſt, qvam apud animum tuum expendere, ut DEUS neminem hominum velit perire? Ut ad pœnitentiam omnes & fidem, non externâ tantum ſimulatione, ſed ſeriò & totâ animi ſui intentione cupiat deduci? Ut qui huic ſe voluntati fideli obſequio ſubjiciunt, in vitæ ſuæ librum inſcribere, à cæteris impœnitenti-

bus ſecernere & eosdem æternæ vitæ hære des velit declarare? Qvid verò efficacius eſt, qvam vel ad hos in officio continendos, vel ad terrendos impios, qvi gratiam Divinam, ipſis haud minus ac cæteris, dummodo id paterentur, propitiam futuram, contumaciter ſpernunt, conſiderare, quomodo hos tales jam in æterno ſuo conſilio Deus rejecerit & infernali damnationi addixerit? Digniſſima hæc doctrina eſt, qvæ è ſuggeſtu qvotidie reſonet & nobiliſſimos hos uſus quotidiè & uberrimè de ſeſe diffundat. Qvid itaq; judicandum eſt de Calvinianorum circa utrumq; hoc dogma decretis? In Synodo Dordracenâ, Seſſ. XXXII. ſubmonuit Præſes, vocatis Remonſtrantibus, *ut potius qvæſtionibus illis inhærerent, qvæ circa ſvavem de electione doctrinam verſarentur, quam ut odiosè doctrinam de reprobatione exagitarent.* Theologi Palatini in judicio ſuo de articulo primo, Actis inſerto, ubi de modo docendi populariter doctrinam de prædeſtinatione agunt, eandem ita generaliter proponunt, ut vix in uno alteroque Remonſtrantium ſententiam à Calvinianâ ſecernere poſſis, accuratum verò diſcrimen, in antecedenti judicio expoſitum, planè reticeri pro ſuggeſtu volunt. Theologi Britanni in concluſione judicii de qvinto articulo, *monemus*, ajunt, *interea, quæ certa ſunt & in verbo Divino ſolidè fundata, eſſe tamen qvædam, qvæ non ſunt omnibus promiſcuè inculcanda*, (ut adeò malè fecerit juxta Calvinianos Paulus, qvod caput epiſtolæ nonum ad Romanos ad omnes promiſcuè ſcripſerit, neq; auditum fuerit unqvam, qvemquam hominum, cujuscunq; eſſet vel ætatis vel profectus vel conditionis, ab ejus lectione excluſum fuiſſe) *ſed ſuo loco & tempore prudenter attingenda. De reprobationis arcano majori ſollicitudine cavendum, ut non modo PARCE PRUDENTERQVE proponatur, ſed etiam, ut in eo explicando ſtudiosè vitentur horridæ illæ opiniones,* (vellicant *Calvini* ſui horridum decretum & Supralapſariorum execrabiles omnibus bonis propoſitiones) *& in Scripturis minimè*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/126
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

*nimè fundatæ, quæ ad deſperationem potius, qvam ædificationem faciunt*, (& tamen tales doctrinæ, qvæ in Scripturis minimè ſunt fundatæ, quæq; ad deſperationem faciunt, juxta *D. Sam. Andreæ*, in Synodo non damnatæ, ſed ſolum deſertæ ſunt) *& Eccleſias qvasdam Reformatas ſcandalo ingenti gravant.* Sibrandus *Lubbertus*, inter Provinciales Theologos unus, cui tres Theologi Belgici, *Jo. Polyander, Ant. Thyſius & Ant. Walæus* adſtipulantur, in judicio de primo articulo: *Non debemus in arcana Dei penetrare, neq; iſthic ſcrutari, an ſimus electi, ſed debemus nos ipſos excutere, an Chriſtus in nobis habitet?* Qvia nempe à priori nihil eſt, unde polliceri tibi electionis gratiam poſſis. Privatos doctores, eadem monentes, prætereo. Qvibus omnibus oppono Remonſtrantium ſyllogiſmum, è defenſione primi articuli: Qvæ doctrina talis eſt, ut præcipui illius patroni & exercitatiſſimi defenſores eam nec in Eccleſiis coram populo Chriſtiano, nec à ſupremo magiſtratu, ſive juſſi ſive rogati, ſpecialiter, candidè & apertè proponere audeant, ea meritò falſitatis & turpitudinis ſuſpecta eſt. Atqvi hæc. Ergo. Major probatur ex illo Chriſti: *qui mala agit, odit lucem & non venit in lucem, ne arguantur opera ipſius*, Joh. III, 20. Itemqve ex illo Apoſtoli: *non me pudet Evangelii de Chriſto*, ut illud qvoqvo modo occultem, Rom. I. 16.

X. Eſt, qvi judicium ſuum de ſalute infantum, extra Eccleſiam decedentium, ideò ſuſpendit, *qvia parum*, inquit, *facit ad praxin.* Sed qvi ajentem defendunt, deprædicandæ miſericordiæ Divinæ magnitudini, qvi negantem, rigori juſtitiæ & Eccleſiæ nobilitati, fideiq; & mediorum ejus neceſſitati oſtendendæ ampliſſimum hic pandi argumentum, haud injuriâ dixerint. Nec enim inter Chriſtianæ religionis myſteria facilè ullum eſt, qvod majorem in animo ſibi, ſuæqve rationis judicio relicto pariat, ſtuporem, quam innocuos infantes ob alienum peccatum, ſalvâ univerſali Dei, eâq; intenſiſſimâ, mi-

ſericordiâ, æternis cruciatibus addici, niſi media fidei excitandæ iis actu offerantur, acceptenturqve. Sed verò non minorem vel admirationem vel averſationem parit, hominem adultum, qvi quicquid ex rectæ rationis reliquiis in homine ſupereſt, ad colendum ſincerâ mente Deum totis viribus convertit & vitæ in omnibus virtutibus honeſtate, Chriſtianorum innumeros longo intervallo ſuperat, quales inter gentiles plurimos fuiſſe hiſtoriarum nos monumenta edocent, iisdem ſubjici pœnis, quibus tamen fides, ejusdemq; media, verbum & Sacramenta, æq; actu oblata nunqvam ſunt. Quam verò neceſſarium, quam fructuoſum eſt, hunc Divinæ juſtitiæ rigorem, verè nobis obſtupeſcendum, ſubmiſſa mente venerari, excitariq; ad agendas ſummo Numini gratias, qvod nos filiosq; noſtros verbi ſui ſalutari prædicatione ex regno qvaſi juſtitiæ in familiam gratiæ ſuæ depoſuerit? Agnovit hoc David, qvi ideò canit: *annunciat verba ſua Jacobo, ſtatuta ſua & judicia ſua Iſraëli. Non facit ſic ulli genti, nec judicia noverunt. Halleluja*, Pſalm. CXLVI. 19. 20. Ecce praxin hujus doctrinæ in ipsâ Scripturâ oſtenſam! Cæterum *D. Fridericus Balduinus*, luculento utiliſſimoq; tractatu de conſcientiæ caſibus libro II, cap. I. cas. XII. *de horum*, inquit, *infantum ſalute vel damnatione nihil temerè judicamus, Apoſtolo dicente: quid nobis de iis, qui foris ſunt?* I. Cor. V. 12. At is non temerè judicare videtur, qui argumentis ductus S. literarum judicium diſcretivum inſtituit. Et locus ex Paulo allegatus *de converſatione politicâ tantùm agit, nec qvicqvam habet de jure Eccleſiaſtico, vel de communione verbi & Sacramentorum, quam latè ea ſe extendat*; rectius dicente eodem *Balduino*, libro IV, cap. IIX. caſ. IIX. Qvaſi diceret, qvid ad me, nunc curare aut corrigere gentilium mores, qui Evangelium nondum admiſerunt? Secus ſi eſſet, nec judicandi nobis partes ſumere poſſemus, cum qværeretur: utrum adulti gentiles, Muhammedani, Judæi, Hæretici, qvà tales, ſalventur, an

an verò damnentur? in qvos tamen jam eſt lata mortis ſententia, Marc. XVI. 16. Joh. III. 18.

XI. Qvi ſacram cœnam extra congregationem totius cœtus, vel in domibus privatis, vel in templo quidem, tempore tamen inſveto, ubi tota Eccleſia non convenit, ſub inani illo prætextu, ac ſi majori tum devotioni locus eſſet, ordinariè ſacerdoti extorquent ſumuntq́; , planè idem faciunt, qvod jam Apoſtolorum tempore fecere Corinthii, quos eo nomine reprehendit Paulus, I. Cor. XI. 20. 21. 22. Nam & hic honoratiores ditioresq́; ſeparatim à cætero Chriſtianorum grege, id eſt, plebejis, agapas ſimul cœnamq́; celebrabant, eâ citra dubium προφάσει utentes, quod in tanto vulgi confluxu diſſipetur quaſi devotio & evaneſcat, cum in minore coëuntium numero è contrario augeatur, viresq́; acquirat. Verum cum ſub hac pietatis ſpecie occultare ſe contemptus proximi propriæq́; elatio perſonæ haud poſſet, remoto omni velo, ingenuè Apoſtolus judicat: alto tales ſupercilio ſpernere reliqvum cœtum & in pudorem tenuioris conditionis homines conjicere, atq́; adeò ad judicium ita ſeparatim eos convenire. Quod verborum fulmen terrere meritò omnes *Singulariſtas* noſtros deberet, ut *congregationes publicas* (quod & tũ ſingularitatis amore & *ſic cũ ſuperbo infirmiorum fratrum contemptu*, ut ait ad h. l. *D. Brochmandus*, quidam faciebant, καθὼς ἔθος τισὶν, *ut nonnulli veſtrum ſolent*) *ne deſererent*, dicente iterum Apoſtolo, Hebr. X. 25. Diſertè libri noſtri Symbolici articulo de Miſſa: *Non rectè facit is, etiamſi res alioqvi plana eſſet, qvi ſacramentum proprium Eccleſiæ, extra Eccleſiæ communionem, ſine verbo Dei, ex propriâ qvadam devotione & affectione uſurpare vult.* Qvod ab Eccleſiâ ſcandalum & à communicantibus iſtis periculum avertere facilè poſſent ipſimet Eccleſiarum miniſtri, ſi ſeveriore qvilibet zelo, quod facere utiq; ex conſcientiæ ſuæ dictato debebant, obire commiſſum divinitus officium, quam reſpicere, quod

plurimi

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/129 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

plurimi eqvidem Placentini faciunt, auditorum ſuorum aut favorem, aut odium, aut nummos, aut redituum jacturam mallent. Longe verò efficacius propellere ex Eccleſiæ pomœriis impium hoc cacoëthes, cum nonnunquam etiam fideliſſimi Eccleſiarum ſacerdotes inolito, acq; anteceſſoribus ad ſe propagato mori eliminando pares haud eſſe videantur, ipſi poſſent Eccleſiarum Epiſcopi, ſi admovere operi manum & ſeveriſſimis mandatis opem ferre veræ pietati vellent. Qvod in Sereniſſ. GUSTAVO ADOLPHO noſtro MECKLENBURGICO, Principe ah qvondam verè bono, verè religioſo, pio lætoq; pectore, qvotqvot ſub ipſius patrocinio ſacris operati ſumus, jure meritoq; prædicamus, qui hoc nuper Eccleſiarum ſuarum præſules mandato, (cui ipſe cum Sereniſſimâ Familiâ ſuomet exemplo auctoritatem conciliavit) ê ſuggeſtu ubiq; publico facto, inſtruxit: Alß euch bekandt/ daß man an vielen Orten in unſerm Lande das H. Abendmahl ohne Noth und erhebliche Urſachen an Feyer- und Werckel-tagen/ vor angefangenem/ oder nach geendigtem öffentlichen GOTTesdienſt/ heimlich und in der Stille gebraucht/ die wohlhergebrachte gute und erbauliche Kirchen-Ceremoniæ aber billich beybleiben müſſen/ ſo committiren wir euch hiemit gnädigſt/ daß ihr in Eurer Superintendur dahin ſehet/ und allen euren Paſtoribus ernſtlich intimirt/ daß Sie niemand/ er ſey auch/ wer er wolle/ das Heil. Nachtmahl ohne Noht und erhebliche Urſachen/ als Leibes Schwachheit/ heimlich oder in der Stille noch an Werckeltagen/ ſondern nur an Sonn- oder Feyer-Tagen/ bey öffentlichen Kirchen-Verſammlungen reichen und ſolches von denen Cantzeln publiciren ſollen/ etc. Datum Güſtrow den 1. Maji, 1695. Non nego, neque diſſimulo; innumera in Eccleſiâ noſtrâ, urbibus inprimis majoribus & aulis, non ſacerdotum tantum vulgarium, ſed Theologorum copia eſt, qvi privatam communionem, qvibuscunq; id ex grandium numero collibuerit,

non

non ſentientes ullum conſcientiæ ſcrupulum, adminiſtrant, horum dein clypeo, alii minorum gentium Dii tutos ſe eſſe exiſtimant, ut horum exempla, in concedendo privato S. cœnæ uſu, quibuscunq; id indulgendum eſſe exiſtimaverint, ſeqvantur. Tu verò, quisqvis es, *homo Dei*, quem non hominum, qvantumlibet Theologorum titulo turgidorum, ſumpta ex ſuomet cerebro conſvetudo, ſed *S. literæ ſapientem reddere debent ad ſalutem*, II. Tim. III. 15. expende ſeriò apud temetipſum, utrum tutius ſit hominum mores, *SINE VERBO DEI*, ut Articuli Smalcaldici loqvuntur, qvam verbum DEI & Symbola, qvibus in conſpectu DEI adſtrinximus fidem, religiosè ſeqvi? Et ſi hominum auctoritate comoveris, innumeros habes Theologos, qvi uno omnes ore docent, non poſſe ſalvâ doctrinâ Apoſtoli, ſalvâ ſacramenti indole, ſalvis Symbolis noſtris, extra neceſſitatis caſum, SACRAMENTUM PROPRIUM ECCLESIÆ, EXTRA ECCLESIÆ COMMUNIONEM, EX PROPRIA QVADAM DEVOTIONE, uſurpari, nedum à miniſtro porrigi. Planeq; memorabile eſt, ne unum qvidem Theologum inveniri, qvi publicè defendere audeat, qvocunq; caſu ordinario locum habere poſſe ſeparatam à toto cœtu communionem. Oſtenderunt id intra breve temporis ſpatium ſcripta ex inſtituto hanc in rem exarata *Jo. Diecmanni*, *Jo. Welmeri*, *Jo. Senſtii*, *Jo. Eliæ Ulichii*, *Erneſti Heranni*. Qvid igitur oppones univerſali illi, quam toties crepant, *ſine verbo* praxi? Qvid niſi univerſalem *ex verbo* doctrinam? Qvid plurimis in praxi Theologis, quam Theologos in doctrinâ omnes? Vere rem totam hanc decidit Servator noſter: *qvæcunq; Theologi præceperint vobis ſervare, ea ſervate & facite. Juxta verò opera eorum ne facite. Nam dicunt, qvæ ipſi non faciunt*, Matth. XXIII. 3.

XII. In ſolam miſericordiam Divinam fiduciam ſuam omnem collocare, & tamen operum ſuorum fiduciâ aliqvâ niti, non ſunt contradictoria. Soli enim miſericordiæ Divinæ

confidimus in ordine ad peccatorum noſtrorum remiſſionem, ad noſtri coram Deo juſtificationem, ad ſalutis noſtræ & impetrationem & certitudinem. Qvomodo verò operum ſimul noſtrorum fiduciâ niti poſſimus, luculenter exponit *D. Jo. Hülſemannus* Breviarii c. XII. Ext. §. XIII. *Duplicem fiduciam concedimus niti poſſe operum præſentiâ. I. Fiduciam ſtatus, nos ſcilicet habere veram fidem, qvia habemus veros fructus fidei, cognitionis item, qvod credimus in Filium, & renovationis, qvod diligimus invicem; qvam fiduciam nemo Papiſtarum habere poteſt, qvia tenetur dubitare, utrum habeat veram fidem veraq; merita. II. Fiduciam complacentiæ Divinæ; nempe non diſplicere DEO, ſed placere omninò noſtra bona opera, eaq; iri remuneratum.* Quæ ſacrarum literarum auctoritate confirmat. Atq; hoc pacto intelligendi ſunt veteres, qvoties in benefactis noſtris, in bonis actibus noſtris, in bonis operibus noſtris, fiduciam collocandam eſſe docuerunt, fruſtra ideò à Pontificiis nobis objecti.

XIII. Non infimum inter virtutes locum liberalitas in proximum & munificentia obtinet, charitatis Chriſtianæ germana quaſi filia. Qvam dum Apoſtolus, II. Cor. IIX. 14. 15. miris verborum blanditiis commendat: *in præſenti*, inqvit, *tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum*, majorisq; confirmationis gratia veteris T. dictum allegat: *qvi multum non abundavit, & qvi modicum, non minoravit*, Exod. XVI. 18. in memoriam nobis revocat, verba Moſis, ut ex antiqvis volunt *Chryſoſtomus*, *Anshelmus*, *Theodoretus* & *Theophylactus*, qvos ſeqvuntur pleriqve interpretes Pontificii, non eſſe ita vertenda: *qvi plus collegerat & qvi minus, omnes eandem menſuram habere inveniebantur*; qvaſi per miraculum, ut ait *Theophylactus*, Deo avaritiam & inſatiabilitatem eorum puniente, non plus invenerint, quam revera collegerant; nec enim vox: *inveniebatur*, qvam in textum intruſit Vulgatus, in textu comparet, nec miracula citra neceſſitatem fingenda ſunt,

ſed

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/132 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

ſed hac potius ſimplici (qvam Theologi noſtri, niſi fallor, omnes amplectuntur) interpretatione eſſe exponenda: *Fecerunt ita filii Iſrael & collegerunt Manna, alter majori qvantitate, alter minori. Inſtituerunt itaq; dimenſionem ſecundum Gomor*, eum in finem, *ut qvi plus collegiſſet, ſupra menſuram deſtinatam non acciperet, neq; qvi minus infra eandem, ſed ſinguli ſecundum id colligendo*, metiendoq;, *qvantum ipſis ſufficeret, conſeqverentur*. Jam verò pone, æqvabilitatem Mannæ Iſraeliticæ non per dimenſionem, ſed mediante qvopiam miraculo factam eſſe, nulla planè vis argumento Apoſtolico ineſſet, qvod dicere religione prohibemur; ut rectè obſervat ad h. l. *Rivetus*. Qvæ enim argumentatio foret Apoſtoli: abundantia veſtra debet ſuccurrere iis, qvi minus habent: qvia Iſraëlitæ, qvi majorem, quam qvæ iis deſtinata erat, Mannæ copiam habebant, nihil iis, qvi defectu laborabant, largiebantur, ſed miraculo ipſis, quod ſuperfluum fuerat, ſubtrahebatur. Qvod abſurdum nullo modo elidunt vel *Cornelius à Lapide*, vel qui reliquorum in exponendis Pauli epiſtolis diligentiam viciſſe videtur, *Guil. Eſthius*.

XIV. Qvæſtio illa, jam â *Thomæ Aquinatis* temporibus in Eccleſiâ Pontificiâ agitari cœpta: utrum poſſit dæmon, in ſpecie Chriſti apparens, ſine peccato adorari? partim ſtolida & ſupervacanea eſt, partim deciſio ejus in affirmativam impia & ſceleſta. Ut enim quis in ſpecie Chriſti apparere dici qveat, ante omnia neceſſe eſt, ut conſtet, qvâ ſpecie, qvave formâ olim & hodie Chriſtus enituerit? At hoc ſciri, cum & ſacris ejus rei & hiſtoricis documentis deſtituti ſimus, planè nequit. Qvamquam enim *Nicephorus Calliſtus* Chriſti formam juxta omnia lineamenta depingat, quæ tamen ſit hujus ſcriptoris, ſi aliorum veterum auctoritate careat, fides, in vulgus notum eſt. Et annon poſſint infiniti alii tali formâ, quæ ab ipſo deſcribitur, Chriſto ſimiles eſſe? Nec ulla etiam alia ſpecies eſt, quam imaginum cultores ex veterum teſtimoniis

jactant, cui tutò fidere qveamus, ceu id Exercitatione Hiſtoricâ de Imaginibus Jeſu Chriſti fusè oſtendit *Jo. Reiskius*. Recentiſſima illa, qvâ virgini Aſſeburgicæ apparuiſſe dicitur, forma à *D. Joh. Wilh. Peterſenio*, in Specie, ut loqvitur, facti perqvam dubie deſcribitur. Prima facies talis erat: Eine Perſon mit einem güldenen Schild vor der Bruſt und mit helleuchtendem Angeſicht / die ihr vorgekommen als eine ſchöne herrlich geſchmückte Jungfer / die ſich ſehr freundlich zu ihr genahet. Qvæſo te per Deum immortalem, ex qvo indicio vel qvalitercunq; ſuſpicari poterat, hanc virginem eſſe Chriſtum? An itaq; imagines prototypis ſuis non formâ tantum exteriori & veſtitu, ſed ipſo etiam ſexu poſſunt eſſe abſimiles? Nec verò perſonæ etiam apparentis teſtimonio, aut colloquio, meram ſanctitatem ſpiranti, fidi poterat. Nam etiam dæmon, cum apparuit, Chriſtum ſe eſſe mentitus eſt, & diabolus in angelum ſe lucis transformare poteſt. Sed verò perſonatus hic Chriſtus paulò poſt formam ſuam mutavit: Dann da einsmahls in Gegenwart der Frau Mutter ihre Geſchwiſter / was ihnen geträumet / bey der Mahlzeit untereinander erzehlet / hat ſie / die Jungfer von Aſſeburg / zu ihnen geſprochen: Sie hätte keine Träume / es hätte aber der Heyland / welchen ſie in groſſer Freundligkeit geſehen / zu ihr neulichſt alſo geredt: Ich bin JEſus Chriſtus / der für dich verwundet iſt. Ich will mich mit dir verloben in Ewigkeit und will dein Bräutigamb verbleiben. Neceſſe itaq; eſt, ut hic apparuerit in formâ formoſi juvenis & ſponſi, magnâ humanitate virginem amplexantis. Qvæ ſola virginibus forma grata eſt & jucunda. Nec enim ſi in priori virginis ſpecie apparuiſſet, ſponſi officium obire & virgo virgini, qvod ridiculum eſſet, deſponſari potuiſſet. Hanc ſponſi formam deinceps iterum mutavit in ſpeciem verè regiam & magnificam, ut amabilior eſſet virgini, jam amoris igne penitus ardenti. Auff eine andere Zeit / als

ſie allein im Gebet war/iſt ihr ſelbige Perſon/ doch in gröſſerer Majeſtät und Klarheit erſchienen/ und hat ſich zu ihr alſo genahet/ als wolte er ſie umbfaſſen. Wofür ſie ſich zwar anfangs gefürchtet/ aber bald von dem Heyland/ der der blöden Krafft iſt/ſehr geſtärcket worden/ alſo daß die völlige Liebe/ die ſein Geiſt gewürcket / bey ihr alle Furcht ausgetrieben hat. Tandem & patientis ſpeciem aſſumpſit: Er hat ihr den gantzen proceſſ ſeines Leidens gezeiget. Proteus hic potius fuerit, qvam Chriſtus, qvi in tot ſe transformavit figuras. Unde igitur qvis certus eſſe qveat, Chriſtum, non planum aliqvem, aut dæmonem ipſum, hâc illave formâ apparere? Nam ſi dæmon mentiri Chriſti formam exactè non poſſet, fruſtra qværeretur: an in formâ illa ſine peccato poſſit adorari? Jam pone, dæmonem in Chriſti formâ comparere, is, qvi eundem adorat, aut dæmonem eſſe novit; & ſic formalem horrendamqꝫ idololatriam committit, aut ignorat, putatqꝫ eſſe Chriſtum; ita non materialis tantum idololatriæ reus eſt, ſed formalis, ut appellant, interpretativæ. Noſſe enim non poterat tantum, ſed & debebat, nunqvam promiſiſſe Chriſtum, velle ſe in formâ qvapiam exteriori, hac præcipue mundi ætate, apparere; è contra prædixiſſe, fore, ut aliqvando falſi Chriſti, quamquam magnis ſignis & miraculis fidem ſibi aſſerturi, exurgant & in errorem abducant, id ſi fieri poſſet, etiam electos, monuiſſeqꝫ: *Si dixerit qviſpiam ad vos: ecce hic eſt Chriſtus, aut ibi, nolite credere*, Matth. XXIV. 13. 14. Plane eandem ſententiam tenent, uno caſu excepto, *Thomas* & *Bonaventura*, qvi inter alias rationes, qvod facile error circa apparentem Chriſtum contingere poſſit, etiam credulitatem recenſet: *qvi enim citò credit*, inqvit, in talibus, *levis eſt corde; & fortaſſis etiam inflatus eſt corde, dum ad tales viſiones & revelationes idoneum ſe eſſe exiſtimat. Unde tales viſiones vel apparitiones potius ſunt formidandæ, qvam deſiderandæ.* Laudat hæc omnia, ut par eſt, *Jo.*

*Bona*, libro de Diſcretione Spirituum, c. XIX. §. X. & memorabili conſilio eos, qui talibus viſionibus tentantur, inſtruit: *Tutius eſt*, inqvit, *hujusmodi apparitiones rejicere, ſeq; illis indignum fateri, atq; omnia ad Confeſſarium vel ſuperiorem referre, eiq; exactè & humiliter obedire.* Cui ſi morem geſſiſſet vel nova Prophetiſſa noſtra, vel ejusdem advocatus, recentiſſimorum deliriorum primus & princeps architectus, toti mundo, fabulâ tandem admirabili caſu confusâ, ludibrium non debuiſſent. Videatur & Noctium Chriſtianarum Exercitatio X. *de formâ faciei Chriſti, dum in his terris viveret*; & Diſputatio A. MDCXCIX. hic habita, *de apparitionibus Chriſti, poſt aſcenſionem ipſius factis.*

XV. Capillos adſcititios non cum ad ornandum caput tum protegendum adverſus frigoris injurias, reſectâ luxuriâ & neceſſitate valetudinis id reqvirente, gerere æq; licet, ac cætera membra concinnis indumentis & exornare & contra varios caſus munire. Si enim aliorum animalium pelles, ex qvibus ſunt calcei & ocreæ & thoraces, pedum noſtrorum & tibiarum & pectoris propriis pellibus, ne injuriis pateant, ſuperinduere & hos ipſos calceos & ocreas & thoraces, pulchris coloribus & fimbriis & eleganti figurâ decorare, totum corpus verò adverſus hyemis aſperitatem vulpium, luporum, urſorum, felium, leporum, muſtelarum, ovium, martium, ſobellarum, aliorumq; animalium crinibus circundare poſſumus, cur non & crinibus noſtris addere crines, vel ex aliis animalium crinibus arte factos, vel ab aliorum hominum capitibus abſciſſos &, niſi aliorum uſibus applicarentur, in inutilem favillam abituros, ob eandem rationem? Nec obeſt Apoſtoli locus, I. Cor. XI. 14. *nonne ipſa natura docet vos, qvod vir qvidem, ſi comam alat, pudori illi ſit?* Nam Apoſtolo naturam docere eſt, conſvetudine in naturam verſum eſſe. *Natura enim docet*, dicente *Schomero* noſtro, *qvod qvæ ex moribus receptis humilitatis ſigna ſunt, non poſſe ſine honoris externi detrimento à*

*mento à nobis fieri.* Qvamqvam non negem, qvia ſimul ad hominis naturam, prout vir à muliere diſtinguitur, reſpicitur, quippe qvæ viris breviores, longiores verò & copioſiores capillos mulieribus conceſſit, hunc ipſum naturæ ductum lædi, cum capillamenta à viris nonnunqvam aſſumuntur, quæ monſtroſa longitudine, crinibus ad femora usq; defluentibus, & capillorum tanta copia, qvæ totum quaſi hominem nonniſi capillamentum faciat, ſuperbiant. Qvæ præterea non poſſunt non animum in gerente arguere vel ridicula vanitate vel tumida ſuperbia inflatum. Perpetua enim in indifferentibus regula eſt: *vocati eſtis ad libertatem, ſed ne illa ſit occaſio carni,* ad explendas nempe malas concupiſcentias, inter qvas & animi elatio eſt, Gal. V. 13.

XVI. Inter axiomata, Eccleſiæ in Symbolo tributa, ſanctitas eſt: *credo Eccleſiam ſanctam.* Intelligitur primariò ſanctitas nobis imputata. Qvi enim ſancti ſunt, ſancti ſunt *in Chriſto Jeſu*, Phil. I. 1. Sanctum autem eſſe ἐν χριςῷ ἰησοῦ plus dicit quam ſanctum eſſe διὰ ἰησοῦ χριςοῦ. Hoc enim intelligi poterat de ſanctitate, meritoriè à Chriſto effectâ. At in Chriſto ſanctum eſſe eſt quaſi Chriſto inexiſtere & unam cum eo qvoad ſanctitatem perſonam ſuſtinere. Ut itaq; ob imputationem *juſtitia in Chriſto* facti eſſe dicimur, II. Cor. V. 21. ita & Chriſtus nobis factus eſt ob eandem imputationem ἁγιασμὸς *ſanctificatio*, I. Cor. I. 30. Secundariò in Symbolo reſpicitur ſanctitas inhærens, ex imputatâ, tanquam vivo perenniq; fonte, profluens. In cujus enim corde *Chriſtus per fidem habitat, is in charitate radicatur & ſtabilitur* Eph. III. 17. 18. Fœda qvidem Pontificiorum calumnia eſt, nullos dari in Lutheranâ Eccleſiâ ſanctos, ſed cavendum tamen nobis eſt, ne criminandi nos juſtam iis porrigamus cauſam. Plurimi, immò innumeri in ſanctitate Chriſti imputatâ ita vanâ perſvaſione conqvieſcunt, ut ſanctitatem nobis inſitam vel pro commento Pontificiorum

habeant,

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/137 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

habeant, vel certe pro nugis recentiſſimorum, qvos vocant, Pietiſtarum. Non ſine bonorum dolore iſtæ Satanæ artes, quibus hodiè perſonam ſuam in mundo agit, adſpiciuntur, qvando nonnullis ſanctitatis imagine ita illudit, ut eandem vel in opinationibus ſingularibus, Eccleſiæ, quam diu ſtetit, inviſis, vel in contemptu & odio omnium aliorum, qui ipſorum ſacra non amplectuntur, collocent, mundo hoc pacto ſe mori arbitrantes & dum hominum ſocietatem, triſtem ubiqve mentientes vultum, cane pejus & angve fugiunt, ſeſe ipſos abnegare, carnemqꝫ ſuam crucifigere, vaniſſimi hypocritæ ſunt perſvaſi; ſed è contrariò, qvi non videt, iisdem mille artificis technis in plenum Libertinismum, viam ad Atheismum ſternentem, plures eorum, qui ſcopulos illos evitare cupiunt, præcipitari, nihil equidem videt. Ipſum pietatis ſanctitatisqꝫ nomen ſuſpectum eſt, peſſimisqꝫ moribus, qvos, qvia ſanctitatis perfectionem aſſequi non poſſumus, imbecillitatum humanarum nomine ſpecioſe veſtimus, ſedulo adnitimur, ne ſectario iſthoc, quod hodiè graſſatur, malo tituloq; collutulemur. Hæc ſeriò conſideremus, veræq; ſanctitati ex animo ſtudeamus, ut in pudorem quorumlibet ſycophantarum criminatio conjiciatur.

XVII. Si, qui ſummo imperio in Rep. gaudet, falſam religionem in eandem introducat, vi eidem per conſcientiam reſiſti non debet, juxta graviſſimum Apoſtoli effatum: *qvi reſiſtit poteſtati, ordinationi Divinæ reſiſtit, qvi autem reſiſtunt, ſibi ipſis judicium acqvirunt*, Rom. XIII. 2. Qvod ſi religio tibi inter heterodoxos ſalva non relinquitur, exeundum eſt regione, præcipiente Chriſto: *cum perſeqventur vos in civitate iſta, fugite in aliam*, Matth. X. 23. Si deniqꝫ nec flebile emigrationis beneficium conceditur, ut in Galliâ nuperrimè factum, cruentum pro Chriſto & glorioſum martyrium præ apoſtaſiâ eligendum eſt, cogitandumqve illud: *qvi perdiderit*

*animam*

*animam ſuam propter me, inveniet eam*, Matth. X. 39. Sed qvid faciendum, ſi conceditur religionis exercitium ſub certis conditionibus, utpote ne vel nominentur adverſarii, vel non imputentur iis errores per conſeqventias, vel planè non refutentur, vel ut quædam in ipſorum religione aut omittantur, ut exorcismus & cantica nonnulla, aut immutentur, ut feſta & Calendarium, aut deniq; jubeantur qvædam in ſuâ religione, ad dogmata pertinentia, planè abjicere & adverſariorum placitum amplecti? Ceu cum interdicitur, ne in matrimoniali judicio in caſu adulterii pro diſſolutione matrimonii quoad vinculum pronuncietur, ſed tantum pro ſeparatione ad thorum & menſam? Cum comminatione, id ni fiat, Eccleſiæ miniſtros pellendos, totamq; religionem immutandam eſſe. Id planè Reformatis injunxerat Galliæ Rex, ante eorum in iſto regno excidium; & neſcio utrum non & Argentorati, quo conſilia Regis ante aliquos annos inclinaſſe me non latet, ſimile edictum fuerit publicatum. Equidem ubi extra teli jactum poſiti ſumus & ſpeculationibus tantum Scholaſticis indulgemus, parata nobis è veſtigio eſt reſponſio: nullibi, ne ad horam quidem, cedendum adverſariis, eligendum potius miniſtris exilium, relinqvendas eſſe ſine paſtoribus Eccleſias, DEO rem totam committendam eſſe, qui cordatos adjuvet, non ſegnes, mollitiem ſemper magis nocuiſſe quam maſculam animi confidentiam, deniq; præſtare, nullam Eccleſiam habere, quam multis ſui partibus mancam mutilamq;. Veruntamen ut Theologorum nomine indigni ſunt, qui ad quamvis auram aſperiorem fluctuant, qui adverſariis digitum petentibus manum ſtatim totam porrigunt, qui ora ſua, ne quid ſeqvius ipſis obtingat, libentiſſimè occludunt; & cordatâ prudentiq; renitentiâ plus ſæpe quam timida mollitie proficiatur: ita qva circumſpectione & adſtrictâ ad S. literarum regulas prudentia à ſerio pioq; Theologo in periculoſis iſtiusmodi negotiis ver-

ſandum ſit, extra pericula conſtitutus difficulter conſuluerit. Profeſſus apud me ante aliqvot annos eſt vir quondam celeberrimus, *D. Balthaſ. Bebelius*, nunc inter cœlites degens, fati ſe malignitate adductum, ut in ſeveriori, & ſi in praxi ea obtineret, innumeras, etiam florentiſſimas Eccleſias brevi deſtructurâ ſententiâ plurimum mentem ſuam mutarit. Factum enim fuerat, ut in agro Argentoratenſi complures Eccleſiæ paſtoribus ſuis orbæ redderentur, haud aliam ob cauſam, quam qvod vel in refutatione errorum Pontificios nominaverint, vel Mariam arguerint peccati, vel qvacunq; alia ratione anniſi fuerint, auditores ſuos adverſus varias ſeductorum artes præmunire. Qvi ſi in tanto periculo moderationem ſeqvendam eſſe cenſuiſſent, Eccleſias ſuas ſervaſſent, qvæ nunc Pontificiis ſuperſtitionibus totæ ſunt oppletæ. Qvam verò ſvaſerit moderationem, prolixé hic recenſere inſtitutum theſium noſtrarum haud permittit.

XIIX. Cum Apoſtolus Neophytum ordinari vetat, I. Tim. III. 6. immediatè hominem è gentili vitâ nuper ad fidem accedentem, intelligere luculentis argumentis in peculiari exercitatione probavit noſtras *D. Henricus Müllerus*. Nec tamen impedit, qvo minus mediatè qvemlibet alium, recens plantatum, einen neu gebackenen/ ut Germani loqverentur, id eſt, inflatum quidem aptitudinis opinione, ſed parum vel informatum, vel roboratum, quales plerumqꝫ ſunt ætate juniores, intelligamus. Certè *D. Calovius* noſter ad hunc locum: Νεόφυτος. *Hoc ætatem reſpicit, ne recens implantatus ſit, ſive religioni Chriſtianæ, ad qvam converſus forte, ſive etiam iis, qvæ ad præparationem ad officium reqviruntur.* Sed nos pientiſſimi *Mülleri* noſtri qverelam, qvamqvam prolixiorem, ſubjiciemus, ſi fortè percellere illa Theologiæ cultorum animos, ne imparati ſacroſancta officia ambiant, poſſet. Ita ille: *Utinam hæc ad animum admitterent ſuum eligendi pariter & electores, ordinandi & ordina-*

*& ordinatores! Sic eſſet, de qvo ſibi gratulari poſſet Eccleſia Jeſu Chriſti. At, proh Deum immortalem, qvot reperiuntur hodiè, qvi vel precibus vel obſeqviis vel muneribus vel Marthæ ante Spartam juncti, vel modis aliis illicitis ſacrum ordinem ambiunt non tantum, ſed & exambiunt, neophyti in eruditione, neophyti in ſanctâ converſatione, neophyti in tentatione & afflictione. Ubi vix Academiam ingreſſi, vix ter quaterve ad præceptorum ſuorum pedes ſederunt, vix unam alteramq́; prælectionem Theologicam audiverunt, immò vix Latinæ lingvæ rudimenta imbiberunt, mox in Poſtillis ediſcendis & coram rudi populo recitandis noctes diesve deſudant, dein ſicubi advertunt, collaudari abs vili plebecula vel flexilem vel ſtentoream ſuam vocem, protenus ſeſe inſinuantes, Simonis vel Marthæ patrocinio uſi, hos illosve ore & manu delinire ſatagunt, Paſtores audiri volunt, qui nunquam fuere oviculæ, doctores, qvi nunquam diſcipuli, duces, qvi nunqvam milites, hodie in œnopolio, cras in ſuggeſtu,* von der Kannen zur Cantzel/ *ſede primi, doctrinâ imi, linguâ magniloqvi, vitâ otioſi, ſermone multi, fructu nulli, vultu graves, eruditione leves, facie rugoſi, lingua nugatorii, contra quos haud immeritò intones illud Apoſtoli: qui alios doces, teipſum non doces? Hi præceptis ſuis poſtillatoriis, ruditate ac vitæ improbitate pondus detrahunt omne, opere deſtruentes, quod ore ædificant, cœlum voce commonſtrantes, pede gehennam, linguam DEO, animam conſecrantes diabolo. Hæc fundi noſtri calamitas. Hinc illæ lacrymæ. Videant iſtiusmodi electi & electores, quot quantisve periculis atq; κρημασι ſe & gregem, ipſius Dei ſanguine redemptum, exponant, reddituri olim rationem ſtrictiſſimam viventium atque mortuorum judici Jeſu Chriſto, qui miſereatur Eccleſiæ ſuæ, jam diu agonizantis eheu & tantum non exſpirantis, propter ſanctiſſima ſua vulnera!*

XIX. Collegialis vel intra privatos parietes vel in loco publico docendi methodus propriè ea eſt, ubi colloqvendo conferendoq́; partes ſuas agunt cum Eccleſiæ miniſtri, tum

auditores. Atq; hunc morem obtinere hodieq; in Collegiatorum, ut vocant, in Belgio & alibi congreſſibus, nec minus in iis Pietatis, ut initiò appellabant, collegiis, (qvod poſtea nomen in Biblica mutatum eſt,) quæ in noſtrâ quoq; Eccleſiâ freqventari ab aliqvo tempore cœperunt, locum primò habuiſſe, in vulgus notum & compertum eſt. Qvando verò ab hac conſvetudine ii ipſi, qvi eandem primò vel introduxerant, vel acceptam ab aliis exercuerant, ob manifeſtos, qvi ab illa intra privatas ſedes ſeparari nullâ arte poterant, abuſus receſſerunt, converteruntq; in meras Scripturarum explicationes, ab Eccleſiæ miniſtris pro ſuggeſtu vel cathedrâ publica propoſitas, nihil aliud per id effectum eſt, quam ut concionum tantum Eccleſiaſticarum numerus augeretur. Quod inſtitutum mirum non eſt, primò ob novitatem, ut fit in rebus omnibus, amatum à plurimis freqventatumq;, paulò poſt non minus, ac ordinarias homilias Eccleſiaſticas, neglectum & contemptum fuiſſe. Ut autem in urbibus majoribus, ubi otioſorum hominum ingens eſt numerus, qvi nullis impediti negotiis & convenire in publico facile poſſunt, & ob augmentum in fide atq; pietate capiendum omnino tenentur, explicationes Biblicæ & facilius inſtituuntur & uſum citra dubium, ſi veris ſuis limitibus coerceantur, planè ſalutarem & inſignem habere poſſunt: ita in locis minoribus ego quidem perſvaſus ſum, Catecheticas informationes, ſi imprimis exiſtat doctor idoneus & felix, illis Biblicis, plerorumq; ſimpliciorum captum ſuperantibus, longè eſſe fructuoſiores. Qvod & ipſa mihi in pluribus Eccleſiis experientia confirmavit. De collegiali docendi modo aliqvando in noſtrâ Academiâ ſcripſit D. Schomerus: *Hunc ſpernendum non eſſe duco, ſi abuſum poteris & diſcordiam docentium evitare; id verò ſi obtineri neqvit, ea via eligenda eſt, qvâ veritati pariter & paci proſpicitur.* Nempe plurimi cœlum libentius terræ miſcent & cum collegis in factiones Eccleſiæ

exitioſas

exitioſas ſcinduntur, qvam ut de more collegiorum iſtorum pietatis privatorum novo, ſemel cœpto & forte parum ſucceſſus habente, remittant, eligantq; alium, cum pace pariter & veritate conjunctum, omnium qvippe conſenſu jamdiu approbatum & in uſum deductum. Edita qvidem ante qvadriennium eſt, producta, ut ego arbitror, ex Archivo curiæ Argentoratenſis ab illuſtri JCto *Joanne Schiltero*, celeberrimi ſuo tempore Theologi, *Martini Buceri*, Defenſio collegiorum pietatis, Germanico idiomate conſcripta. Nihil propemodum hodie eſt, quod in patrocinium horum collegiorum dici queat, quin in hoc ſcripto fuerit adductum. Perſcriptum tamen haud ita pridem ad me ab amico haud vulgari eſt, delatas eſſe Argentorato ad Theologum qvendam ſchedas plures MStas, non judicium tantum *Bucerianum* de collegiis illis, ſed & contradictiones aliorum, vivente *Bucero*, Theologorum Argentoratenſium, nominatim *Caſp. Hedionis*, eorumq; rationes, qvare cum *Bucero* hac in re conſentire non poſſent, uberrimè complectentes. Qvæ citra dubium cauſa eſt, cur ſuperiore ſeculo nihil de hoc negotio emanaverit in publicum. Si tamen ſcripta hæc evulgarentur, fore ſperandum eſſet, ut utriusq; partis fundamenta ſolidius omnibus & clarius paterent. Adeò ſcilicet hoc inſtitutum, nec ante ſeſqviſeculum, omnium piorum prudentumq; virorum applauſum usq;quaq; potuit mereri.

XX. Benedictio ſacerdotalis non pertinet qvidem ad conjugii, quâ talis, eſſentiam, tamen ad eſſentiam conjugii Chriſtiani, ſeu ad exiſtentiam ejus, qvâ omnibus modis honeſtum, pium & Chriſtianum eſt, illudq; matrimonium refert, qvod omnium matrimoniorum primitiva norma & exemplum eſt, Matth. XIX. 4. qvod verò ab ipſo DEO, ſuâq; ceu ſacerdotis manu fuit conſecratum, Gen. II. 22. Frigida eſt exceptio: Si DEUS ut ſacerdos ſe hic geſſerit, tum vicarium



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/143 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

fuiſſe ſacerdotum. Qvæ egregia profectò ſit ſententia, qva & ſacerdotes ſupra DEUM extollantur, cum vicarius ſemper ſit inferior illo, cujus vices gerit. An enim DEUS cujuslibet hominis, ſabbathum ſanctificantis, vicarius redditur, homoq; ſanctificans ſupra DEUM extollitur, qvando exemplum DEI, ſabbathum ſanctificantis, ſeqvitur, aut Chriſtus Apoſtolorum vicarius redditur, qvando hi exemplum ipſius, qvod & juſſerat ipſe, toties expreſſerunt? Nec aliter ex exemplo DEI concludunt Theologi noſtri, qvam cum primi conjugii conſummationem tanti æſtimaverit DEUS, ut particulari benedictione illud conſecraverit, qualem in nullo alio contractu neq; adhibuerit unqvam, neq; adhiberi juſſerit, DEI exemplo conſentaneum eſſe, & hodie particularem benedictionem in copulandis novis conjugibus adhiberi, qvæ non poſſit aptius, qvam â ſacerdote coram tota Eccleſia adminiſtrari. Qvod ſi dixeris: patrisfamilias perſonam & officium peregiſſe DEUM, cum & in veteri fœdere paterfamilias utplurimum copulaverit conjuges, iisq; benedixerit, tum hoc pacto ſententiam Theologorum communem adeo non deſtruxeris, ut potius corrobores. Nam ante latam legem Moſaicam qvilibet paterfamilias ſacerdos erat in propria familia. DEUM igitur neceſſe eſt ſacerdotem fuiſſe in familia Adami, ſi in ea fuit paterfamilias. Non neceſſe eſt demonſtrari à Theologis benedictionem ſacerdotalem aliqvo juris Divini textu inniti, quippe qvam nunquam urſerunt, tanqvam ex mandato Divino peculiari provenientem, ſed tantum pronunciarunt, conſentaneam eſſe exemplo DEI, in primæva conjugii inſtitutione Adamo & Evæ peculiariter benedicentis. Quemadmodum nec Chriſtus in argumento de divortio ad jus aliqvod Divinum, aut legem particularem, ſed tantum ad inſtitutionem Divinam provocavit. Cumq; exemplum Judæorum, benedictionem ſacerdotalem ab immemoriali tempore in conjugio ineundo adhibentium,

(qvam

(qvam licet *Moſes Maimonides* neget in copulatione novorum conjugum antiqvitus in more fuiſſe, non tamen inficiatur, uſurpatam ſemper fuiſſe in ſponſalibus; ſufficit autem in confeſſo eſſe, perſvaſum omni ætate Judæis fuiſſe, non poſſe ſine benedictione ſacerdotali legitime & obſervato Divino ordine conjugium vel contrahi vel confirmari) non obſcurum argumentum præbeat, Judæos hanc animi ſui perſvaſionem ex primæva DEI benedictione hauſiſſe, vel hinc etiam tanquam ex indicio nequaquam levi colligitur, verum eſſe, quod diximus: conſentaneum eſſe primæ inſtitutioni, ut conjugia, intercedente benedictione ſacerdotali, confirmentur. Qvin nec vel contractum civilem vel teſtamenta moribundorum vel rem qvamcunq; majoris momenti aliam, niſi invocato ante omnia Divino nomine juris anteceſſores valida eſſe voluerunt; qvantò minus conjugia ſine ſolenni benedictionis ritu rata inter Chriſtianos haberi debent? Mos adeò antiqvus eſt, ut ipſum Chriſtianismum antecedat &, ceu dixi, in Judæorum jam veteri Eccleſiâ vigorem ſuum habuerit, retinueritq; ad hodierna usq; tempora. Si *Ignatii* ad Polycarpum epiſtola, qvod vult *Iſ. Voſſius*, genuina eſſet, de qvâ jam olim Magdeburgenſes, & poſt eos *Rivetus*, aliiq; non immeritò dubitarunt, ſaltem adeò interpolatam & corruptam eſſe, ut genuina â ſpuriis diſcerni amplius neqveant, judicarunt, eadem conſvetudo in primâ ſtatim poſt Apoſtolos Eccleſiâ citra omne dubium obtinuiſſet. Ita enim ille: *Decet autem ducentes & ductas cum ſententiâ Epiſcopi unionem facere, ut ſit ſecundum Dominum & non ſecundum concupiſcentiam. Omnia in honorem DEI fiant.* Qvamqvam vero indubitatum non ſit hoc *Ignatii* teſtimonium, indubitatum tamen pariter non eſt, ab *Ignatio*, Apoſtolis proximo, non fuiſſe profectum, qvæq; *Seldenus*, Anglus, aliiq; pro corruptione *Ignatianorum* diſputarunt, ab *Hammondo*, pariter Anglo, opera longè curatiore ſint diſcuſſa. Præterea

etſi

etſi *Ignatius* non dicat, Epiſcopum novos conjuges conſecraſſe, conjugium tamen iniri ſine Epiſcopi & adeo Miniſterii Eccleſiaſtici reſcitu & concurſu, jam eo tempore non potuiſſe aut debuiſſe aſſeverat. Qvod iis, qvi ritus hujus (non eqvidem abſolutam, expedientiæ tamen & ordinis verè Chriſtiani) neceſſitatem tam ægris oculis adſpiciunt, ut conjugium Chriſtianum in contractum mere civilem convertant, æq; adverſum eſt, ac ſi totidem verbis dixiſſet *Ignatius*, ad Epiſcopum novorum conjugum etiam conſecrationem jure pertinere. Qvamqvam neq; hoc diſerte neget *Ignatius*, qvi totum circa nuptias negotium, ut univerſa more non gentili, ſed Chriſtiano fiant, Epiſcopo transſcribit. Qvod ſi dixeris, non id qværi à JCtis, ut hic benedictionis Eccleſiaſticæ ritus prorſus tollatur, ſed hoc tantum, ut is liberetur à ſuperſtitione, neq; pro inſtituto Divino venditetur, qvod inventum merè ſit humanum; tum vix credi poteſt, abolitionem ejus non quæri, cum reliqviæ Sacramenti Pontificii & fermenta Papalia, quibus novi JCti benedictionem ſacerdotalem accenſent, omnino aboleri debeant ex Eccleſia Lutherana & exſtirpari. Quî verò neceſſe eſt liberari hunc ritum à ſuperſtitione, cum ſuperſtitio in illo nulla deprehendatus? Superſtitio verò qvomodo in ritu aliqvo locum habere poteſt, qvi ſecundum totum eſſe ſui, non dico, à DEO mandatur, (nam nec id aſſerunt Theologi) ſed Divino verbo non adverſus, verum eidem conveniens eſt. Nec enim qvicquam in eo nominari poteſt, qvod ulli ſacrarum literarum verbulo contrarietur. Non venditatur hic ritus à Theologis pro inſtituto Divino, ſed hoc tantum ab iiſdem docetur, conſentaneum eſſe hunc ritum inſtituto Divino. Si enim DEUS ipſe primis conjugibus tam operoſe benedixit, eaq; benedictione hominum conjugium ſupra beſtiarum coitum ampliſſime evexit, quid convenientius eſt huic Divino inſtituto, qvam ſi Eccleſia pariter ordinat & ad exemplum Dei

inſtituit,

inſtituit, ut & hodie in novorum conjugum nuptiis ſolennis primæ benedictionis memoria agatur, Deusq; à tota Eccleſia invocetur, ut veterem DEI benedictionem in hoc novorum conjugum pari renovet, faciatq;, ne beſtiarum tantum more congrediantur, ſed conjugium ineant in omni honeſtate & pietate Chriſtianum. Qvamqvam verò juxta Theologos hic benedictionis ſacerdotalis ritus non ex præcepto inſtitutoq; Divino deſcendat, non tamen ideo pro invento mere humano habendus eſt. Qvod enim Divino verbo in omnibus exacte congruit, neq; in qvacunq; re eidem adverſum eſt, id iniqve inventum vocatur humanum. Inventa humana ſunt, qvæ ex mero hominum ingenio citra reſpectum ad verbum Divinum & ad illud convenientiam, adinveniuntur & in Chriſtianam Eccleſiam, qva Chriſtiana eſt, introducuntur. Non ſunt conciones Eccleſiaſticæ, qva forma modoq; hodie habentur, cum à verbi Divini regula nulla in re recedant, inventa mere humana. Non ſunt conventus Chriſtianorum, in qvacunq; calamitate publica ad deprecandam Dei iram inſtituti, variisq; ceremoniis, canticis, precibus, genuflexionibus, ad devotionem noſtram augendam Deumq; propitiandum veſtiti, qvamqvam non ſint à Deo inſtituti vel præcepti, inventum humanum. Qvî itaq; benedictio ſacerdotalis, tam bono verboq; Divino congruo conſilio inſtituta, ad finem tam ſalutarem in negotio, à qvo univerſæ vitæ felicitas dependet, directa, & mediis Divino verbo conſecratis exercita, tam fœdo contemptoq; inventi mere humani nomine fuerit dehoneſtanda.

XXI. Chriſtiani hominis vita perpetua pœnitentia, antiqvi patris effatum eſt. Qvi enim qvotidie peccat, qvotidiè in ſe redire & peccatum ſuum DEO deprecari debet. Miſerrimi mortalium iſti ſunt, qvi peccatis commaculatos ſe eſſe ignorant, immò inficiantur. Deſperatus eſt morbus, qvem æger



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/147 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

non ſentit. Si dixerimus, nos peccatum non habere, ſeducimus nos ipſos, nec veritas eſt in nobis. Qvi à peccato, etiam voluntario & malitioſo, immunem ſe eſſe credit, ſæpe hoc ipſo peccatum malitioſum committit, dum agnoſcere vel ex petulantiâ vel culpabili neglectu detrectat, qvod agnoſcere omnimodo debebat. Qværitur: an peccatorum coram DEO confeſſio in qvotidianis precibus etiam tum facienda ſit, qvando qvis intra conſcientiam ſuam non perſvaſus tantum, ſed certus eſt, ſe ex deliberatione & malitioſè non peccare? Reſpondetur, ſupponi, qvod ſupponendum non erat. Si enim adeò certi de eo, qvod voluntariè non peccemus, eſſe poſſumus, cur David precatur: *errores qvis intelligit? ab occultis munda me*, Pſal. XIX. 13. Qvæ qvidem directâ voluntate committuntur peccata, ea & animadvertere plerumq; & DEum offendere certi eſſe poſſumus, non item, quæ indirectâ, ut vocant, & interpretativâ ſeu virtuali. Sæpe vel omittimus, qvæ omittenda non erant, vel bono animo facimus, qvæ facienda non erant, qvæ, qvia ex culpabili ignorantia omittere non debebamus & debebamus facere, voluntaria peccata fiunt, qvamqvam ea nos non cōmittere falſò perſvaſi ſimus. Qvo ſenſu *Lutherus* Tom. II. Opp. Lat. Art. VIII. *nemo eſt certus, ſe non ſemper peccare mortaliter, propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium.* Nimis adulatur aut carnis ſuæ infirmitati, aut ſuggeſtionibus dæmonis, qui occurrentia tantum in oculos peccata & à nobis primo ſtatim intuitu animadverſa, pro voluntariis & mortalibus peccatis habet, gratiam Divinam & fidem excutientibus. Aliter vim peccatorum nobis paſſim Scriptura deſcribit. Eoq; ipſo, quod peccare facile & blanditiis noſtris, ac ſi non peccaremus, decipere nos ipſos poſſumus, cur non qvotidiano contra qvotidianos incurſus medio, ſeriâ pœnitentiâ, uteremur? Cum ſi in agnoſcendis deprecandisq; peccatis fallamur, nemi-

nì niſi nobismetipſis irreparabile animæ damnum accerſamus; ſi vero peccata, etiam mortalia, confiteamur, quæ forte non habemus, humilitatis noſtræ documentum edamus, de quâ Petrus ſcribit: *humilitatem animo veſtro inſinuate. Nam Deus reſiſtit ſuperbis, humilibus autem dat gratiam*, I. Petr. V. 5.

XXII. Scripſit anno hujus ſeculi XXIII. *Paulus Tarnovius*, benè meritus de hac Academiâ Theologus, de S. S. Miniſterio libros tres, ita ubiq; & qvaſi in toto orbe cum applauſu ſuſceptos, ut in hoc argumento à ſummis infimis tantum non omnibus paginis allegentur. Libro II. c. XXIII. Q. III. ita loqvitur: *forma & modus abſolutionis ſemper ſit conditionatus. Quia enim ſolis vere pœnitentibus tantum impertiri poteſt & debet abſolutio, quinam autem ſint vere pœnitentes, ſoli DEO, cordium ſcrutatori, certò conſtat, de qvo miniſter Eccleſiæ tantum probabiliter ex dictis & factis confitentium colligit, ideoq; nonniſi conditionaliter formari intelligiq; abſolutio privata & peculiaris poteſt, quemadmodum etiam in communi & publicâ concione nemini, niſi verè credenti, remiſſio peccatorum annunciatur & impertitur.* Eſt, qui hanc ſententiam prolixè refellit, cujus rationes in compendio ſunt: quia aliud ſit ſalutaris fructus abſolutionis, qvi ſolis pœnitentibus conferatur, aliud abſolutio ipſa ex parte DEI offerentis, qvæ ſit univerſalis; qvia miniſter Eccleſiæ teneatur juxta externa, quæ ore & geſtibus proferuntur, abſolutionem annunciare, interna DEO relinqvere, qvia nec baptizemus, nec cœnam porrigamus conditionaliter; qvia denique periclitaretur certitudo abſolutionis, qvæ non à pœnitentis contritione & fide, ſed à DEO promittente & offerente dependeat. Jam verò ſi confitentis contritio vel non ſatis fuerit acris, vel fides imbecillior, facillimè adjectâ conditione perterritum, incipere dubitare, utrum verè ſit abſolutus? Addunt alii, qvia nec Chri-

ſtus unqvam conditionate abſolverit. Verum iniquior eſt hæc in B. Theologum cenſura, neqve fundamenta cenſoris firmo ſtant talo. Nam I. *Tarnovius* formam conditionalem non aliam intelligit, quam qvali Servator noſter, ejusq; Apoſtoli, freqventer uſi ſunt, dicendo: fiat tibi, ſicut credidiſti; ſi credis, fieri hoc poteſt; fides tua te ſalvum fecit. Quæ formulæ cauſam & conditionem in ſe continent, à quâ remiſſio peccatorum, vel aliorum beneficiorum collatio, ſuſpenſa erat, eamq; vel jam impletam, vel mox implendam. Id patet partim ex ſubjectâ Q. XV. in quâ ejusmodi formas exempli loco adducit, partim ex comparatione cum abſolutione publicâ, ad qvam in verbis ſupra adductis provocat; in qvâ formulæ ſolennes ſunt: Ich verkündige allen bußfertigen Sündern / die ihre Sünden im Hertzen empfinden und bekennen/und ſich mit veſtem Vertrauen an das Verdienſt Chriſti halten/ die Gnade GOttes und Vergebung ihrer Sünden/ denen unbußfertigen aber/ſo lang ſie ſich nicht bekehren/Gottes Zorn und Ungnade. II. Forma abſolvendi conditionata vel formaliter vel virtualiter talis intelligitur. Dubitandum non eſt, omnem abſolutionem virtute hanc in ſe conditionem continere: ſi abſolvendus credat. Probatur hoc ex ipsâ adverſarii *Tarnoviani*, quamqvam à nobis non conceſſâ hypotheſi, quod verbum abſolutionis ex parte DEI offerentis, ad morem voluntatis DEI antecedentis, in ſe ſit univerſale. At voluntatem DEI antecedentem conditionem fidei, à DEO omnibus exhibendam, in ſe complecti, indubitatum eſt. III. Neqvaquam conceditur, abſolutionem peccatorum pertinere ad voluntatem antecedentem. Id enim ſi verum eſſet, abſolutio omnibus peccatoribus, ſine omni diſcrimine, etiam flagitioſiſſimis, abſolutè eſſet impertienda, nec tam ſolliciti eſſe deberemus in adhortando Eccleſiæ miniſtro, ut manus ne citò omnibus imponat.

Oblatio enim gratiæ, quæ eſt voluntatis antecedentis, ad omnes ſimpliciter ſpectat, nemine excluſo. At abſolutio peccatorum paucis, id eſt, pœnitentibus tantùm impertiri debet. Ergo eſt voluntatis conſequentis. IV. Ratio à *Tarnovio* adducta immota eſt: qvia miniſter fidem ejus, quem abſolvere debet, non certò videre, ſed ex dictis tantum & factis, iisq; ſæpe fallacibus, probabiliter colligere poteſt: ergo abſolutio ejus, niſi poſitâ fide, invalida eſt, & poſitâ demum fide valida certaque redditur. Hoc autem ſi verum eſt, reipsâ abſolvere non poteſt, niſi conditionatè, id eſt, poſitâ non fidei tantum ad extra profeſſione, ſed & ad intra exiſtentiâ, ſaltem probabili vel præmiſſo ſcrutinio præſumpta. Quamquam itaqve miniſter, etiam juxta *Tarnovium*, ob fidei probabilem præſentiam, meritò abſolutè abſolvat, hoc tamen non obſtante abſolutio in ſe conditionata manet, quia abſolutioni ipſius hæc virtualis conditio ſemper innexa eſt: ſi profeſſione fidei me fallas, non abſolutus eſto. Qvare VI. fructus abſolutionis ab abſolutione ipsâ divelli nullo modo poteſt. Nam & qvi in civili judicio ab impacto crimine abſolvitur, impoſſibile eſt, ut fructu abſolutionis jure non fruatur; niſi forte conſtet, immeritò abſolutum eſſe. VII. Alia planè eſt ratio baptiſmi & Cænæ Dominicæ, in quibus præter fructum remiſſionis peccatorum, (qui in his Sacramentis nonniſi ſub conditione fidei offertur) diſtribuuntur alia beneficia, & qvidem abſolute & citra omnem conditionem fidei aut incredulitatis, utpote in baptiſmo tota S. S. Trinitas, in Cænâ corpus & ſanguis Chriſti. Ut taceam, baptiſmum cubiculario Candaces Philippum nonniſi ſub conditione, ſi crederet, adminiſtrare voluiſſe, Act. IIX. 37. IIX. Ut ob conterritas conſcientias, ubi Eccleſiæ miniſter cauſam nullam habet, de veritate pœnitentiæ dubitandi, præſtat conditionem in abſolvendo omittere, ne

ne de certitudine remiſſionis forte ambigat: ita ob conſcientias ſecuras, ubi confitens non miniſtro tantum, ſed aliis omnibus, de impactis ei, ſed publicè tamen non probatis, criminibus ſuſpectus eſt, nec is tamen tentatis omnibus ad ſcelerum agnitionem perduci poteſt, præſtat conditionem adponere, ne is putet, abſolutè ſibi peccata remiſſa eſſe, etſi vel maximè ea nunqvam agnoverit. IX. Chriſtus καρδιογνώστης in hoc argumento conferri cum vulgaribus Eccleſiæ miniſtris non poteſt; quamquam ad eum modum, qvo ipſe abſolvit, & miniſtrum Eccleſiæ abſolvere poſſe, nunquam negaverit *Tarnovius*.

XXIII. Provocatio ad extremum Chriſti tribunal in cauſis, ubi juſtitia nobis in hoc mundo non adminiſtratur, non convenit cum dictis & exemplis Scripturæ, Matth. V, 44. Rom. XII. 14. I. Tim. II. 1. Act. VII. 60. I. Cor. IV. 12. 13. Luc. XXIII. 34.

# THESES EX THEOLOGIA PATRISTICA DEPROMPTÆ.

I.

Diſcernit non immeritò inter ſeſe *Lactantius*, Lib. IV. de verâ ſapientiâ c. IV. ſapientiam, id eſt, Theologiam, & religionem, id eſt, cultum & actionem, ſecundum ſapientiam illam inſtitutam. *Sapientia*, inqvit, *præcedit, religio ſequitur, qvia prius eſt* DEUM *ſcire, conſeqvens, colere.* Nempe qvia omnis DEI cultus fruſtraneus, DEOq; exoſus eſt, qvi non ſecundum voluntatem ab ipſo revelatam, cujus tenor in fonte omnis ſapientiæ, verbo Divino, continetur & inde hauriendus eſt, inſtituitur. Ex qvo ipſo patet I. quoad tractandi rationem, Theologiam & accuratam rerum ſacrarum ſcientiam praxi Theologicæ rectè præmitti, atq; adeo intellectum hominis primo notitia Divinorum myſteriorum & cultus, qvi circa illa verſari debet, imbuendum eſſe, dein verò demum ad voluntatem, cultus exercitio ſeſe applicantem, eſſe progrediendum; & inverſo prorſus brutoq; ordine incedere, qvi voluntatem intellectui præordinant, DEUMq; colendum & amandum, precibusq; prius demerendum eſſe contendunt, qvam qvis ſit DEUS & qvomodo vel agnoſci velit vel coli, intellectus inſtrui debeat & erudiri. II. Theologiam hanc, tanquam cultus & praxeos fundamentum, veram eſſe debere, anteqvam praxin conjungas, quia alias praxis falſo principio ſuperſtrueretur. DEUS enim adorari debet in Spiritu & VERITATE, Joh. IV. 23. Non unquam abſurdiores ſententiæ, non dicam inter Chriſtianos, ſed inter homines excogitatæ fuerunt, qvam duæ iſtæ: voluntatem

tem antecedere intellectus judicium & qvodcunq; intellectus judicium bonam voluntatis conſtitutionem antecedat, falſum eſſe, non verum. Qvalia tamen ſententiarum monſtra, quia pietatem mentiuntur, etiam Theologi hodie defendere non verentur, ut nempe à veteri Theologorum, hanc pietatis particulam negligentium, conſenſu eò magis recedant & deliriorum quorumlibet auctoribus eò intimiori vinculo conjungantur.

II. Nec idem *Lactantius* ſibi contradicit, cum indivulſum utriusq; nexum prædicat: *non poteſt*, inquit, *nec religio à ſapientiâ ſeparari, nec ſapientia à religione ſecerni; quia idem Deus eſt, qvi & intelligi debet, quod eſt ſapientiæ, & honorari, qvod eſt religionis.* Nam cum omnis nexus vel Phyſicus ſit, inter ea, quæ per naturam ſeparari nequeunt; vel Moralis, inter ea, qvæ ſalvâ morum innocentiâ neqveunt ſejungi, ſejuncta tamen veritatem non amittunt, hunc poſteriorem *à Lactantio* intelligi, ipſa, qvæ ex morum diſciplinâ petita eſt, loqvendi ratio: DEBET, luculento indicio eſt. Verba verò: *non poteſt ſeparari, de τῷ poſſe* Morali intelligenda ſunt, ceu cum dico: bonus vir non poteſt mentiri. Et Apoſtolus Joannes I. Ep. cap. III. 9. *qvi ex DEO natus eſt, non poteſt peccare*, id eſt, qui ita regenitus Deiq; filius factus eſt, ut in obſequio æterno patri præſtando exercitatos habeat ſenſus, ſeu ut Philoſophi loqvuntur, habitum contraxerit, non poteſt vi hujus habitus adverſus Patrem cœleſtem optimum beneficentiſſimumq; peccare, niſi omnem boni animi ſenſum exuere velit, quod de eo, in qvo DEI ſemen manet, credi neqvit.

III. *Hieronymus*, dum Præfatione ad librum Judith ſcribit: *hunc librum Synodum Nicenam in numero ſanctarum Scripturarum legi computaſſe*: Judithi libellum libris Canonicis non accenſet, ſed Eccleſiaſticis tantum, quos veteres ſancta-

rum

rum Scripturarum nomine qvandoqve dignantur, qvia ad informationem ſanctorum morum in Eccleſiâ publicè legebantur. Nam alibi & *Hieronymus* ipſe & *Athanaſius* & *Nazianzenus* & *Amphilochius* & *Damaſcenus* & Concilii Laodiceni patres, qvibus omnibus Synodi Nicenæ autoritas ſacra fuit, eundem librum Judith libris Apocryphis adſcripſerunt. Non negat hoc *Natalis Alexander* Sec. IV. Diſſ. XVIII. p. 249. qvi ideo cum reliqvis Pontificiis canonem Biblicum poſtea demum ab Eccleſia conſtitutum eſſe ait. Cujus dum eandem eſſe cum anteriori Eccleſia auctoritatem cauſatur, cui ideo eadem qvoqve fides adponenda ſit, meminiſſe debebat, in contradictoriis non poſſe utriq; adhiberi fidem & ſi auctoritas veteris atq; recentioris Eccleſiæ inter ſe componantur, veterem, qvippe & veritati & pietati magis deditam, infinito intervallo ſuperare recentiorem. Conferatur interea illuſtriſſima hoc in argumento opera *D. Georg. Calixti* & *D. Chriſtiani Drejeri.*

IV. Rectè de Scripturâ *Origenes*, libr. VII. contra Celſum p. 339. Ed. Spenc. *Multi cordati viri ſcrutando Scripturam intellectum ejus invenire potuerunt, licet revera ſit multis locis obſcura, ſed non ſic, ut intelligatur à nemine.* Non negant hoc Lutherani, nec patrocinatur hoc Pontificiis. Nam paulò ante verè dixerat: *certè Prophetæ, qvicquid erat opus mox ab auditoribus intelligi, & qvicquid ad corrigendos mores faciebat, absq; ullis involucris propoſuerunt, ut DEUS voluit. Qvicqvid autem arcanum erat & diſpiciendum amplius, ut vulgari captu ſublimius, id figuris obſcurioribus convelaverunt, ut non ab ignavis invenirentur & ſegnibus, ſed à virtutis ac veritatis ſtudioſis perſcrutatoribus & inventum juxta Divinam doctrinam in uſum proprium verteretur.* Nihil vel poterat planius vel præclarius contra Pontificios dici pro Lutheranis. Nempe Scriptura in iis, qvæ abſolute cuilibet Chriſtiano cognitu factuq;, ut ſalutem

lutem obtineat, ſunt neceſſaria, ita dilucida ſunt, ut à quolibet, etiam infimæ ſortis homine, poſſit intelligi & comprehendi. Qvæ horum captum ſuperant, non ſubterfugiunt eos, qui qualemcunq; operam, cuilibet alii ſcripto intelligendo neceſſariam, in eandem ponunt, quæ ne ſic quidem intelligi poſſunt, ſcripto expoſita ſunt eum in finem, ne unqvam inqvirendo, cum ſemper qvidpiam ad delectandum exſatiandumque animum inveniri poſſit, delaſſemur, ſemper alacriores & ad ſciendum incitatiores reddamur.

V. Divinitatem Filii Dei & numericam ejus cum Patris Divinitate unitatem ita apertè *Origenes* ante concilium Nicenum profeſſus eſt, ut admirandum ſit, dubium cuiqvam poſſe oboriri. Inter innumera loca unum producemus ex octavo contra Celſum libro, à nemine unqvam *νοθείας* accuſato. Objecerat Celſus, Chriſtianos tam acriter pro unitate DEI contra idola decertare & tamen interea Chriſtum æqvalibus cum DEO honoribus afficere; ad qvod *Origenes* reſpondet: *ſi Celſus intellexiſſet illud: ego & Pater unum ſumus & illud in precatione dictum à Filio DEI: ſicut ego & tu unum ſumus, non putaſſet, nos etiam alium colere præter DEUM, univerſorum Dominum. Ait enim: Pater eſt in me & ego in Patre.* Bone Deus, qvid clarius eſt? Qvam ineptè reſpondiſſet *Origenes*, niſi eandem numero Patris & Filii eſſentiam intellexiſſet! Qvid itaqve commovit olim *Dion. Petavium* & hodie *P. D. Huetium*, ut in Unitariorum gratiam patres ante concilium Nicenum plerosq; Arianorum caveæ includerent? Qvorum argumenta celeberrimus Anglus, *Georgius Bullus*, cap. IX. Defenſionis, mirâ eruditione eliſit. Scilicet juxta illos dogma de Divinitate Filii DEI priorum ſeculorum Catholiciſmo exuendum fuerat, ut qvarti ſeculi Eccleſiæ in determinandâ hac controverſiâ infallibilis auctoritas eò illuſtrioribus radiis exſplendeſceret!

VI.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/156
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

VI. Summa itaq; injuria eſt, qvâ me ante XXVI. annos *Hermannus Cingallus*, venenato libro, qvem in Belgio edidit, inſcripſitq; : *Scriptura S. Trinitatis revelatrix*, conſperſit, qvaſi in diſputatione, olim ſub Præſidio *D. Jo. Meiſneri*, hoſpitis tum mei, poſt fata venerandi, Wittebergæ propoſitâ, *de Origene & Origenianis*, ſcripſiſſem: omnes ante Nicenum concilium patres aut Arianos fuiſſe, aut Arianorum proluſores. Qvam dicam & eodem loco ſcribit Centuriatoribus Magdeburgicis, *D. Abr. Calovio* & *D. Jo. Conr. Dannhauero*, viris & doctoribus meis, ſupra laudem poſitis. Qvos inter *Calovius*, tanqvam freqventer allegatus, peculiari exercitatione vindicias edidit. Evaneſcet maledicentia, ſi nudam rei hiſtoriam & verba mea repræſentavero. Liberaveram ab Arianâ hæreſi *Origenem*. Et meritò. Cumque ab iis, qvi eundem atro calculo condemnant, variæ loqvendi formæ, pro Arianis facere viſæ, objectarentur, quibus ante mota certamina, ut in aliis, ita in hac quoqve materiâ, ſecurius uſi fuerant patres; utpote: Patrem majorem eſſe, etiam qvoad Divinitatem Filio, Filium eſſe Patris miniſtrum & ſimiles, (qvales magno numero ſub accuratum examen, poſt plurimos è noſtris, inprimis Divinos viros, *Calovium* & *Dannhauerum*, recentiſſimè vocarunt *Sam. Gardinerius* & *Georg. Bullus*) oſtendi, formas illas nihil minus qvam Arianis patrocinari, neq; mirari, qvod minutias iſtas Origenomaſtyges tanti reputarent. Verba mea (qvorum poſtrema tantum pars, qvæ incipit: *qvod ſi*, mala fide à *Cingallo* adducta fuit) hæc ſunt: *ais, loca ex Origene ab Hieronymo, Epiphanio, Juſtiniano Imp. & quinto Concilio producta, inæqvalitatem Divinarum perſonarum perſpicuè docent. Qvid; hoc ipſum eſt, quod adeò miror, in comprobationem accuſati erroris non potuiſſe afferri loca manifeſtiora: Id ipſum certè accuſantium perſonas meritò cuilibet*

*cordato reddit ſuſpectas, velut ex inſpectione locorum, ſupra à nobis adductorum, patet. Qvod ſi illæ formulæ loqvendi, qvalescunq; tandem attulerunt, Arianum faciunt doctorem, nemo ante Concilium Nicenum orthodoxus fuerit neceſſe eſt, ſicut paulò ante adductis ſimilibus demonſtravimus.* Duo nempe dico: *Origenem* indubitatum eſſe ſacroſanctæ Trinitatis profeſſorem, eundemqve tam clarum, tam dilucidum, ut verba ipſius ne qvidem à virulentiſſimo hoſte in alium ſenſum trahi poſſint. Qvalia §. præcedente adducta ſunt. Deinde non deeſſe in eodem *Origene* loca, qvæ videantur S. S. Trinitatis myſterium ex eo labefactare, qvod inæqvalitatem qvandam vel ipſius eſſentiæ perſonarum Trinitatis vel operationum earundem enunciare videantur. Qvæ tamen incomptæ locutiones, qvia commodè exponi poſſint debeantq;, nimis claram reliqvorum locorum lucem extinguere in *Origene* æq; non poſſint, ac non poſſint debeantqve in omnibus trium ſeculorum Patribus, in qvibus ejusmodi akyrologiæ æqve compareant. Hanc enim in interpretando benignitatem utiqve iis deberi, qvi ante motas controverſias ſcripſerint & mentem ſuam alibi clarioribus, nec ulli dubitationi obnoxiis verbis manifeſtaverint. Judicet lector, à livore vacuus, utrum id dixerim, qvod dixiſſe me criminatur *Cingallus*. Latet autem ſub *Cingalli* larvâ famoſus haud ita pridem in Belgio Arianus, *Chriſtophorus* Chriſtophori F. *Sandius*. Qvod docebo verbis ejus, qvi Bibliothecam Anti-Trinitariorum A. M. DCLXXIV. edidit. Ita ille: *Scriptura S. Trinitatis revelatrix: qvi ſub nomine Herm. Cingalli qvaſi Goudæ, (revera autem Amſtelodami) An. 1678. 12. in lucem prodiit. Quisnam auctor ſit, haud difficilè erit his, qvi Dominum Sandium, ejusqve genium ac ingenium noverant, divinare.* Veriſſimè, ita me Deus amet, dictum & appoſitiſſime.

VII. Rectè *Chryſoſtomus* ad illa Joannis: *in principio erat verbum*,

*verbum*, notat: *nihil aliud, qvam qvod ſemper ſit, ſignificat.* Et iterum: ὥσπερ οὖν τὸ ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, τὸ ἀΐδιον δηλοῖ, οὕτω τὸ οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεὸν συναΐδιον ἡμῖν ἐνέφηνεν. *Origenes* in eundem locum: ἐν ἀρχῇ, πρὸ παντὸς χρόνου καὶ αἰῶνος. *Theodoretus* Sermone VI. de Providentiâ: ἄναρχον, προαιώνιον vocat verbum. *Nonnus Panopolitanus*: ἄχρονος ἦν, ἀκίχητος, ἐν ἀρρήτῳ λόγος ἀρχῇ. Qvid itaq; *Hug. Grotium*, aliosq; commovit, ut ab hac antiqvitatis ſententiâ recedentes, τὸ ἐν ἀρχῇ de principio temporis, in qvo creata ſunt univerſa, interpretarentur?

IIX. Qvæ Helmeſtadii, ut videtur, A. MDCLXXIIX. *Teſtimonia* edita ſunt, *primæ, mediæ & ultimæ ætatis Chriſtianæ doctorum, eorumq; non infimæ autoritatis, qvod ſatisfactio Chriſti Divini duntaxat decreti ratione & ob congruentiam, non verò abſolutè neceſſaria fuerit*; præterquam quod res ſit ſcandali plena, teſtimonia pro Socinianis (contra qvos citra doctrinam de neceſſitate incarnationis in argumento de ſatisfactione Chriſti diſputari ſolidè non poteſt) ſollicitè conqvirere, qvoad maximam ſui partem intentum nullo modo probant. Qvod uno tantum alteroq; exemplo oſtendemus. In fronte ponitur *auctor*, ut vocat, *vetuſtus*, de cardinalibus Chriſti operibus, *Cypriano* vulgò adſcriptus, qvi dicat: *ſine holocauſto ſanguinis Chriſti poterat DEUS condonaſſe peccatum.* At hic autor non eſt vetuſtus, ſed *R. Bellarmini* judicio *Auguſtino* poſterior, immò indice primo *R. Coco* in MSC. exemplari Bibliothecæ Oxonienſis *Arnoldo Bellovacenſi*, qvi ſeculo XII. vixit, opus adſcribitur. Idq; omni dubio hodie carere ait *Jo. Ceſtrienſis*, poſtqvam *in Arnoldi* MSC. *codicibus paſſim cernatur.* Hæccine eſt vetuſtas? Non igitur alio in numero computari hic auctor poterit, qvam Scholaſtici omnes & Jeſuitæ & Calviniani, qvos Teſtimoniorum editor ſine diſcrimine abſurdè adducit, qvorum hac in re nulla planè eſt auctoritas, cum illos Apologia Aug. Conf. ideo non immeritò *turbam* appellet *nugaciſſimo-*

*rum ſcriptorum.* Jam *Arnoldus* ille Sermone non XIV. (ſunt enim non plures, qvam duodecim) ſed IX. integrè ita loqvitur; *hoc vis intelligi, qvæ ſit cauſa mortis? qvis qvæſtus? Ut utraq; re cognita peccatum appareat & gratia, & qvanti ponderis ſit utrumq;, rerum probet effectus: cum originali morti nullum niſi in Chriſti morte potuerit eſſe remedium, nec conciliare Deo potuerit exules & damnatos qvælibet oblatio, niſi ſangvinis hujus ſingulare ſacrificium. Et ſine hoc holocauſto poterat Deus tantum condonaſſe peccatum, ſed facilitas veniæ laxaret habenas peccatis effrenibus, qvæ etiam Chriſti vix cohibent paſſiones, qvæ vix ſceleratos animos à voluptatum fece avellunt.* Conciliet hæc mirabilis auctoris verba, qvisqvis voluerit, verè oppoſita, verè contradictoria. Nam in prioribus verbis eundem loqvi ſuppoſito decreto Divino de mittendo in carnem Filio, adeò abſurdum eſt, ut ea limitatio, contextui addita, & verbis ipſis & nervo eorundem (qvi hic eſt: tantum fuiſſe peccati pondus, ut non potuerit, niſi morte Chriſti expiari) omnem adimat ſenſum.

IX. *Amor meus crucifixus eſt*, ait *Ignatius*, epiſtolâ ad Romanos, ed. Voſſ. p. 60. Mirum eſt, potuiſſe hanc ſententiam à *Petro Halloixio*, ejusqve ſectatore, *Natali Alexandro*, de amore mundi & rerum terrenarum, de qvo diverſâ prorſus verborũ conſtructione Paulus agit, Gal. VI. 14. exaudiri, cum ipſe *Ignatius* verbis haud multò poſt ſeqventibus, (ſiqvidem univerſa ejus eſſe ſupponantur) ſeſe explicet: *credite mihi*, ὅτι τὸν Ἰησοῦν φιλῶ, τὸν ὑπὲρ ἐμοῦ παραδοθέντα, *qvod Jeſum diligam, in crucem pro me traditum.* Qvid hoc eſt aliud, qvam amorem ſuum crucifixum eſſe? Qvod argumentum cum ἐμφάσει advertit *D. Balt. Bebelius* in antiqvitatibus ſeculi I. & argumenta in contrarium feliciter diſſolvit peculiari exercitatione clariſſimus hodiè Philologus, *Wilh. Ern. Tenzelius.*

X. *Cornelius*, epiſtolâ inter Cyprianicas juxta numerationem

onem *Jo. Ceſtrienſis* XLIX. ad Cyprianum: *nec enim ignoramus, unum DEUM eſſe, unum Chriſtum eſſe Dominum, unum Spiritum Sanctum, unum Epiſcopum in Catholicâ Eccleſia eſſe debere.* Nicol. Rigaltius ad hunc locum: *unus Epiſcopus dicitur, ut Eccleſia una.* Specificè nempe, ut ſcholæ loqvuntur. Auctor problematis paradoxi: *qvoties in Scripturis Spiritus Sancti fiat mentio, angelum qvendam intelligi*; eandem unitatem de Spiritu S. cujus & in *Cypriani* verbis fit mentio, intelligi adſeverat. Sed qvis credat, dum tot numericæ unitates anteceſſerunt, easdem inſeqvi ſpecificam? Cum verò unum Epiſcopum in Catholicâ Eccleſiâ eſſe debere *Cornelius* enunciat, *ſciendum, hic non de omni Epiſcopo ſermonem eſſe, ſed de ipſo Cornelio Romano, cui ſe iſti ſchismatici oppoſuerant, ut ſenſus ſit, Eccleſiam Catholicam Romæ, (& ſic in qvocunqve alio loco) non pati plures, qvam unum numero Epiſcopum*, ait in ἀκριβεστάτῃ Paradoxi Refutatione B. *D. Schomerus* noſter. Nec aliter locum intellexit introductione in librum *Cypriani* de Unitate Eccleſiæ *D. Georg. Calixtus*; imò ex ipſis Pontificiorum partibus Notis ad Cyprianum *Jac. Pamelius.*

XI. Graviter & magnâ ſeveritate *Chryſoſtomus* Homiliâ XXIII. in Apoſtolorum Acta: *ſatius eſt, ſexcenties defodi, qvam DEUM per nos talia audire, qvod nobis ſit malorum Auctor.* Qvid dicturum fuiſſe putamus, ſi φορτικὰ illa Calvinianorum, præcipuè Supralapſariorum, ἀκούσματα, qvalia magno numero à noſtris paſſim, præcipue verò à Remonſtrantibus in Actis, confecto eam in rem ſyllabo, fuſe collecta ſunt, legiſſet? Ex gr. illud Petri Martyris: *DEus homines ad ſuas pravas actiones incitat, ſeducit, trahit, jubet, indurat, deceptiones immittit, & qvæ peccata gravia ſunt, efficit.* Nullus unqvam gentilis *Chryſoſtomi* tempore tam horrenda, tam execrabilia in DEum convitia unqvam effudit. Qvid dicturum fuiſſe *Chryſoſtomum*, ſi qvis talia effutiiſſet, putabimus? Melius eſſet, talem hiatu

terræ

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/161 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

terræ abſorberi aut de cœlo fulmine tangi & proſterni. Utinam Infralapſarii ejusmodi maledicta non deſererent tantum & improbarent, ſed *Chryſoſtomi* exemplo zelum adverſus illa ſuum, qvibus palpo nonnunqvam potius blandiuntur, eorumqve auctores cœlo terraqve dignos heroas proclamant, graviori ſeverioriqve animi affectu teſtarentur!

XII. *Auguſtinus* libro III. de Libero Arbitrio c. XIIX. *Approbare falſa pro veris, ut erret invitus, & reſiſtente atqve torqvente dolore carnalis vinculi, non poſſe à libidinoſis operibus temperare, non eſt naturæ inſtituti hominis, ſed pœna damnati.* Qvæ Pontificiorum aliorumqve puris, ut vocant, naturalibus adeò adverſa ſunt, ut nec effugii qvaliscunqve ſpecies ſuperſit. Nam *Bellarmini* exceptio: *loqvi Auguſtinum de naturâ, qvalis fuerit in primo homine, non qvalis eſſe potuerit,* facile diſſolvitur, ſi attendatur, *Auguſtino* exceſſus iſtos per ſe & naturâ ſuâ Divinæ inſtitutioni eſſe adverſos. Qvo pacto non magis concreari homini à Deo poterunt, ac non poteſt Deus mentiri. Finge enim hominem, approbantem falſa pro veris, & qvidem invitum, talisne defectus poterit eſſe à Deo, qvi per naturæ ſuæ perfectionem ipſa veritas eſt, nec amare hominem, nedum condere poteſt, niſi qui דבר אמת בלבו *locutus fuerit veritatem ex toto pectore ſuo*, Pſalm. XV. 2. Iſte obſcœnus Veneris aqvaliculus, qvi etiam reſiſtente ſaniori ratione & injectis dolorum vinculis, tamen in libidinoſas actiones, cameli inſtar, proruit, ſit â DEO, per naturam ſuam ſancto intaminatoqve? Si verò ipſa in ſtatu purorum naturalium ratio dictat & ſvadet, (ut certè aliter non poteſt, ſi rationis officio fungi velit) à pravis iſtis cupiditatibus abſtinendum eſſe, qvid hoc dictatum aliud eſt qvam lex naturæ? Lex verò naturæ qvid aliud eſt, qvam lex DEI, qvi naturæ eſt auctor. Qvicqvid verò contra legem DEI eſt, peccatum eſt. Et qvod peccatum eſt, non tantum à DEO non eſt, ſed nec eſſe poteſt.



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/162 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

XIII. *Iſidorum* Peluſiotam, *Chryſoſtomi* diſcipulum, angelicam vitam *Evagrius* duxiſſe teſtatur. Editæ ſunt ejus Epiſtolæ demum à Pontificiis poſt Concilium Tridentinum, atq; adeò ob indicum expurgatoriorum ſeveritatem non ſine formidine corruptionis. Saltem quædam apud *D. Hülſemannum* argumenta non exiguam ſuſpicionem movent, aliorum epiſtolas his admixtas eſſe. Qvia verò à Pontificiis pro genuinis habentur, nemo quam hic *Iſidorus* rectius confictæ ab ipſis Chriſtianorum perfectioni & poſſibili legis impletioni opponitur, cujus ideo verba ex libro I. Epiſt. C. adponemus: *dic ad Novatiani ſupercilii diſcipulum: qvid tanqvam purus,* (ſunt autem Novatiani & dicti Cathari) *ſtolidè gloriaris? Qvid te ipſum peccati expertem ſimulas? Qvid naturæ ſocietatem inficiaris? Eſaias immundum ſe eſſe prædicat. David omnem hominem mendacem eſſe agnoſcit, atq; omnes in peccatis conceptos & in lucem editos fuiſſe: Atq; etiam Deus ipſe homines mirum in modum & ſedulo improbitati addictos eſſe & ſolo miſericordiæ oleo indigere ait. Et tu puritatis faſtum arroganter jactas?* Hocne eſt legem non tantum perfectè ſervare, ſed etiam ſupererogationis opera faciendo plus facere, quam lex requirit?

XIV. Verè de S. *Auguſtino* ſeculo jam XII. *Sigbertus*, monachus Gemblacenſis, *Vir*, Platinæ judicio, *ſpectatæ doctrinæ*, in Chronico ad annum CCCCXV. *Prædeſtinatorum hæreſin ex libris Auguſtini, malè intellectis, initium ſumpſiſſe dicitur.* Male intellectis, dicit. Qvamquam enim *Auguſtinus* ex fervore diſputandi contra Pelagianos multa ſcripſerit, quæ limam non ſuſtinent, in pleriſq; tamen, qvæ abſolutum decretum quadam neceſſitate involvit, & ſine quibus, tanquam fulcris deſtitutum, ubiqve hiat claudicatve, orthodoxiam etiam poſt certamina Pelagiana complexus eſt. Qvemadmodum id de voluntatis gratiæqve Divinæ, etiam vocantis, univerſalitate,

meriti Chriſti amplitudine, fidei deniqve & ſalutis amiſſibilitate & gratiæ reſiſtibilitate, tam luculenter demonſtratum paſſim à noſtris, *Gerardo* etiam *Joanne Voſſio* in Hiſtoriâ Pelagianâ, eſt, ut refragari hactenus cum ſpecie potuerit nemo. Qvæ vero duriora in S. Patre reperiuntur, emollientur, ſi *D. Jo. Hülſemanni*, magni Theologi, judicium attendamus, in Breviario his verbis propoſitum, C. XV §. XI. *Non ſunt heterodoxi S. Auguſtinus & alii, qvi ſentiunt, objectum prædeſtinationis eſſe hominem adhuc vocandum, ſed conſideratum in decreto Dei, tanqvam non rejecturum gratiam vocationis, ſi quondam offeratur, ad qvam oblationem, omnibus & ſingulis præſtandam, à ſuâ parte Deus paratus eſt. Is enim ordo conſtitutus eſt à DEO, ut nolit his, qvi primam gratiam præfractè repudiarunt, majores gradus ſeu incrementa conferre. Quo ſenſu non malè à B. Auguſtino dicitur: eſſe peculiarem qvandam gratiæ ſpeciem, qvam Deus electis præparavit, tanqvam medium infallibile & proximum aſſeqvendæ ſalutis, videlicet intenſiorem gradum gratiæ, ſeu majus incrementum, qvod DEUS conſeqvente, ſeu vindicatrice voluntate juſtè denegat iis, qui primam gratiam rejecerunt.* Quæ tamen opinio *Hülſemanniana* eò trahenda non eſt, ac ſi peculiaris illa gratiæ ſpecies, qvæ gradum priorem, à DEO collatum & ab homine bene collocatum ex gratioſa DEI diſpoſitione inſequitur, ita medium infallibile & proximum ſit aſſeqvendæ ſalutis, ut eandem irreſiſtibiliter efficiat. Id quidem novi pacis & unionis nos inter & Reformatos architecti volunt, atq; eoipſo animum à prædeceſſoribus ſuis, qui abſoluto & irreſiſtibili Divinæ voluntatis decreto hominem in eligendo homini præferri diſerte docuerunt, nequaquam alienum manifeſtant, ſed quod Deus prævideat, hominem primo gratiæ gradu utentem ſecundum tertiumq;, etiam vi quadam majori eundem commoventem, dum reſiſtere poſſet, non tamen reſtiturum eſſe.

XV.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/164
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

XV. *Auguſtini* in duabus epiſtolis mentem de controverſâ haud ita pridem à Gallis quæſtione: an hæretici & ſchiſmatici vi ad fidem ſint cogendi? ſolido judicio evolvit amiciſſimus mihi *D. El. Veielius*, Auguſtini librorum lector indefeſſus. Non eſt inſolens, Eccleſiæ doctorem aliquando ceſpitare. Nec id contigit *Auguſtino*, deliberato conſilio utenti, ſed collegarum importunitate & Donatiſtarum flagitiis quaſi compulſo. In ipsâ verò reprobatæ à Scripturâ ſententiæ defenſione, à cædibus, à ſanguine, ab atrocitate abhorruit. Quicquid argumentorum pro horridiori ſententiâ attulit, adeò nihil virium, nihil roboris habet, ut in diſſerendo vix *Auguſtinum* agnoſcas. Si verò ſeriò novæ opinioni fuit addictus, cur pondera, cur immota rationum momenta, quibus antea tanto cum ſucceſſu veritatem propugnavit, nunquam refellit? Circumcellionum autem iſtorum flagitioſiſſimorum compreſſionem, quorum ſceleribus nulla unquam ſecuritas indulta fuit, Gallicanorum Hugonottarum, quorum religioni millenis ſanctiſſimisq; juramentis data fides fuit, diris excruciationibus, (de quibus hiſtoriæ legantur) componere eſt Delphinum ſylvis appingere, fluctibus aprum.

XVI. Pontificiorum de ſalute dubitationi jure meritoq; obvertitur illud *Hilarii*, Can. V. in Matth. *Regnum cœlorum, qvod Prophetæ nunciaverunt & Dominus noſter in ſe eſſe poſitum eſt profeſſus, vult ſine aliqvâ incertæ voluntatis ambiguitate ſperari; alioqvin juſtificatio ex fide nulla eſt, ſi fides ipſa fiat ambigua.* Exceptio *Bellarmini*: Hilarium loqui non de fide juſtificationis, ſed de fide reſurrectionis, tam febriculoſa eſt, ut mortem primo ſtatim intuitu minitetur. Nam reſurrectionis ne apice uno in toto contextu fit mentio. *Confirmare Servator nos*, ait, *in ſpem bonorum æternorum laborat.* Ergò de certitudine ſalutis indubitatâ, de qvâ nos inter & Pontificios qvæſtio eſt,

 unicè

unicè agit. Eamq; ex juſtificatione per fidem, tanquam immoto fundamento, deducit, cum fides ambiguitatem omnem funditus tollat & evertat. Qvid magis dici poterat Lutheranum?

XVII. *Clementis Romani* ad Corinthios epiſtolam, hoc ſeculo à *Patricio Junio* in lucem primum productam, genuinum ſancti viri ſcriptum eſſe, ego quidem ita firmiter ſum perſvaſus, ut niſi pondera argumentorum, quibus ejus γνησιότητα celeberrimi viri comprobarunt, eandem extra omne dubium ponant, nullum aliud ſcriptum nothum à genuino diſcerni poſſe planiſſimè credam. Is itaq; in medio epiſtolæ: *nos*, inquit, *ex voluntate Domini in Chriſto Jeſu vocati, non per nos ipſos juſtificamur, neque per ſapientiam noſtram, intelligentiam, pietatem, vel opera, quæ in puritate cordis & ſanctimonia operati ſumus, ſed per fidem, per quam omnipotens Deus omnes ab initio juſtificavit.* Ecce fidem in juſtificatione omnibus operibus, quocunq; nomine veniant, more Pauli, (cujus & ſanctam Apoſtolicamque ſtyli ſimplicitatem imitatur) opponit, ut ſolam fidem juſtificare immotè concludere poſſis. Et ne qvis Pontificiorum verba de primâ tantum juſtificatione intelligat, etiam ea opera ex juſtificatione excludit, quæ ἐν ὁσιότητι καρδίας *in ſanctitate cordis*, operati ſumus; quod Paulus, ex quo hæc deſumſit, ἐν τῇ δικαιοσύνῃ, *in juſtitiâ*, dixerat, Tit. III. 5. At ſanctitatem cordis ante primam juſtificationem nullam dari in confeſſo eſt. Deniq; iterum exemplo Apoſtoli id ex Abrahamo & Jacobo comprobat, quorum uterq; variis per totam vitam virtutibus illuſtris fuerit, non tamen ob hæc ipſa opera, ſed per meram gratiam fidemq; DEO grati atq; accepti fuerint redditi. *Omnes igitur*, inquit, *glorificati & magnificati ſunt non per ſe ipſos, aut eorum opera, aut juſtas actiones, quas patrarunt, ſed per voluntatem ipſius.* Ecce Eccleſiæ doctorem, quo Apoſtolis proximior non eſt, juſtitiam hominis non in quocunq; opere, etiam eorum, qui ob pietatem

ſuam

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/166 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

ſuam DEO ad finem usq; vitæ placuerunt, ſed in ſola fide, Divina beneficia apprehendente, collocantem!

XIIX. Supervacuum forte fuerit, pro gratiæ Divinæ & fidei amiſſibilitate, apoſtaſiâ item ſanctorum, qvemqvam allegare veterum. Ita conſpirant omnes, ita conſentiunt, victi ſacrarum Scripturarum irrefragabili luce. *Auguſtinum* tamen, qvem ſuum eſſe in argumento de abſoluto decreto clamitant Calviniani, ex uno libro XX. de Civitate DEI c. VII. audiemus. Ita ille: *nec moveat, quod ſæpe Diabolus ſeducit etiam illos, qui jam regenerati in Chriſto vias ingrediuntur DEI. Novit enim Dominus, qui ſint ejus, ex his in æternam damnationem neminem ille ſeducit.* Alii ſunt *Auguſtino* electi, alii regenerati. Hi à dæmone ſeduci ad æternam damnationem poſſunt, illi non item. Finge, ſeducere Diabolum ad peccata tantum venialia, qvam frigidum hoc eſt? Et annon etiam eos, qvos Dominus novit ſuos eſſe, ad eadem ſeducit? Quæ itaq; occupatio & oppoſitio eſt *Auguſtini*? Præterea ſeduci à Diabolo & partem eſſe Diaboli, *Auguſtino* in verbis proximè antecedentibus planè æqvipollent. Pars itaq; Diaboli fuerint regenerati, cum ab ipſo ſeducuntur. Non credo, in universâ Theologiâ Calvinianâ tam craſſum atque palpabilem, addo, neq; tam periculoſum errorem eſſe, qvam hunc ipſum, qvi negat, hominem ſemel regenitum in peccata mortalia labi poſſe.

XIX. Qvam procul abfuerint veteres à merito bonorum operum de condigno, in ordine ad vitam æternam aſſerendo, vel illud, nullâ declinandum exceptione, *Baſilii* dictum demonſtrat, Concione in Pſ. CXIV. circa medium: *propoſita eſt æterna reqvies his, qvi legitime in hac vitâ decertarunt, qvæ non ſecundum operum debitum ac meritum,* (ita verba: ὐ κατὰ ὀφείλημα τῶν ἔργων, rectè reddidit *Janus Cornarius*; ubi enim non eſt debitum, ibi nec poteſt eſſe meritum) *retribuitur, ſed ju-*

*xta magnificentisſimi Dei gratiam his, qvi in ipſum ſperaverunt, exhibetur.* Ex quo ultrò conſeqvitur, qvoties alibi veteres merendi voce in ordine ad ſalutem utuntur, *Gilb. Genebrardi*, hominis Pontificii, regulam attendendam eſſe: *vitam æternam mereri apud vetuſtos Theologos eſt vitam æternam conſeqvi.* Nam & apud Latinos ſcriptores: *demereri aliqvem*, nihil minus denotat, qvam meritum propriè dictum ab eo extorqvere, ſed alicujus gratiam & favorem in re aliqua gerendâ conſeqvi. Qva de re eruditè certè diſqvirit libro de Phraſibus veteris Eccleſiæ *Gerh. Titius.*

XX. *Theodorus Beza* in vitâ *Joannis Calvini* immerito *Philippum Melanchtonem*, tanqvam in materiâ de rebus adiaphoris molliorem, accuſatum fuiſſe profitetur: è contra Matth. Flacium, *malum illum*, ut vocat, *genium*, turbarum coarguit, totamqve ipſius cohortem, *qvæ nunc qvoqve opus Domini labefactet, non aliter ſanè, nec minus impudenter, ac furiosè, qvam ſi ab ipſo Rom. Pontifice magnis ſtipendiis eſſet conducta.* Stomachantur Calviniani, qvoties *Flacii* audiunt nomen. Sed iram *Bezæ* temperare poterat, ſi tum vixiſſet, *Jo. Hoornbeeckius*, & ipſe magnum inter Reformatos nomen, qvi libro IX. Summæ controverſiarum: *Flacius*, ait, *ex præcipuis fuit Melanchtonis & Wittebergenſium in contentione decennali de adiaphoris adverſarius. Ubi ſi rem ipſam ſolum ſpectaſſent, non improbandum erat, qvod remisſiori de adiaphoris, qvæ prætendi vulgò talia ſolent, non haberi, & revera pons ſiunt, per qvem Papismus reduci qveat,* (imò, ſi ſine *Flacio* fuiſſet, revera reductus fuiſſet) *ſententiæ ſe opponerent, niſi pro inconſideratâ ſuâ vehementiâ à re ad perſonam pergentes, ſtuduiſſent hoc pacto virum optimum, Philippum Melanthonem, collegasq; & ſocios, ſævum in modum opprimere & perdere.* Flacius ſi in odio erga Melanthonem exceſſit, nemo probaverit; vitio tamen interea omni vacat, hominem tepidum,

& tamen

& tamen auctoritate ſuâ florentiſſimas Lutheranorum Eccleſias in priſtinas Papatus tenebras qvaſi impetu qvodam præcipitaturum, cordatâ ſeveritate aggredi & maſculè refellere.

XXI. Non pugnant illa *Lactantii*, libro IV. c. IV. *Conjuncta inter ſe ſunt ſapientia & religio: ſapientia ſpectat ad filios, qvæ exigit amorem, religio ad ſervos, qvæ exigit timorem*; cum illo Apoſtoli, 1. Joh. IV. 18. *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas ejicit timorem.* Nam qvi ex DEO renatus, immota fide Salvatori ſuo adhæret, eandemque fidem non fucatâ charitate demonſtrat, nihil habet formidinis ſervilis, de gratiâ, de adoptione, de vitâ æternâ: non tamen ideò exors eſt timoris DEI, tantopere ubiqve S. literarum celebrati, qvo ſollicitè cavet, ne in peccata prolabatur, ne Deum, patrem ſuum, ullo delicto offendat, *ſed operatur cum timore ac tremore, ut ſalvus fiat*, Phil. II. 12. Qvare immediate conjunxit *Lutherus*: debemus *Deum timere & diligere.* Nec à Scripturæ conſvetudine alienum eſt, & hunc timorem vocare ſervilem, id eſt, talem, qvalem habet ſervus erga herum ſuum, Mal. I. 6. Qvæ non ſufficienter in Notis ad *Lactantium* conciliavit *Serv. Gallæus.*

XXII. *Vincentius*, Lerinenſis Presbyter, in Commonitorio c. VI. quod *Sixtus Senenſis*, ceu & alii Pontificii maximi nominis paſſim faciunt, *libellum* vocat *verè aureum, qvem omnes Catholicæ pietatis autores aſſiduâ verſare manu deberent, ceu enchiridion ſeu militarem pugiunculum, adverſus profanas omnium hæreſeon novationes*, de Arianiſmo, univerſum orbem inundante, ita loqvitur: *qvando Arianorum venenum, non jam portiunculam qvandam, ſed penè orbem totum contaminaverat, adeò ut prope cunctis Latini ſermonis Epiſcopis, partim vi partim fraude deceptis, caligo qvadam mentibus offunderetur, qvidnam potiſſimum*

*tiſſimum in tantâ rerum confuſione ſeqvendum foret, tunc qviſqvis verus Chriſti amator & cultor extitit, antiqvam fidem novellæ perfidiæ præferendo, nullâ contrarii ipſius peſte maculatus eſt.* Ex qvo colligo: non Eccleſiam tantum Romanam, (nam & hæc habebat Latini ſermonis Epiſcopum, inprimis Liberium) ſed univerſam, non in ſplendore tantum externo, ſed & in ſanâ doctrinâ ita defeciſſe, ut priſtinam Eccleſiam in eâ vix agnoſceres, ut vera Eccleſia vix ullibi compareret, ut Catholica fides exulaſſe prorſus videretur. *Tunc*, inqvit Vincentius, *non tantum affinitates, cognationes, amicitiæ, domus, verum etiam urbes, populi, provinciæ, nationes, univerſum poſtremò Romanum Imperium*, (hoc verò tum omnes propemodum Chriſtianæ Eccleſiæ concludebantur) *funditus concuſſum & emotum eſt* — *Tunc temeratæ conjuges, depopulatæ viduæ, profanatæ virgines, monaſteria demolita, diſturbati Clerici, verberati Levitæ, acti in exilium ſacerdotes, oppleta ſanctis ergaſtula, carceres, metalla; qvorum pars maxima interdictis urbibus protruſi atq; extorres, inter deſerta, ſpeluncas, feras, ſaxa, nuditate, fame, ſiti affecti, attriti & labefacti ſunt.* Hiccine eſt florentiſſimus ille Eccleſiæ ſtatus, qvi *Bellarmino* nota eſt veræ Eccleſiæ, à qvo Eccleſia deſciſcere nunqvam poteſt? Sed forte doctrinæ veritas in flore manſit & ſalva? Denuò audiamus Vincentium: *pro cœleſti dogmate humanæ ſuperſtitiones introducebantur, bene fundata antiquitas ſceleſtâ novitate ſubruebatur, ſuperiorum inſtituta violabantur, reſcindebantur ſcita patrum, convellebantur definita majorum & intra ſacratæ atq; incorruptæ vetuſtatis caſtiſſimos limites profanæ ac novellæ curioſitatis libido ſeſe non contingebat.* Diceres, Lutheranum loqvi & repræſentare ſtatum Eccleſiæ ante Lutherum!

XXIII. Lutheranæ Eccleſiæ ante Lutherum typum Waldenſium Eccleſiam meritò prædicari, confeſſio eorum, ab

ab *Ænea Sylvio* edita, Hiſtoriæ Bohemicæ c. XXXV. clariſſime edocet. Ea verò hæc eſt: *hujus peſtiferæ ac jam pridem damnatæ factionis dogmata ſunt, Romanum praeſulem reliquis Epiſcopis parem eſſe, inter ſacerdotes nullum diſcrimen* (vi nempe Divini juris, non conſtitutionum humanarum) *presbyterum non dignitatem, ſed vitæ meritum efficere potiorem. Animas è corporibus excedentes aut in æternas è veſtigio pœnas mergi, aut perpetua conſequi gaudia. Purgatorium ignem nullum inveniri. Vanum eſſe orare pro mortuis et avaritiæ ſacerdotalis inventum. DEI & ſanctorum imagines delendas. Aquarum palmarumq; benedictiones irridendas. Mendicantium religiones malos dæmones inveniſſe. Sacerdotes pauperes eſſe debere, ſola contentos eleemoſyna. Liberam cuiq; prædicationem verbi DEI patere. Nullum capitale peccatum, quantumvis majoris mali vitandi gratia tolerandum. Qui mortalis culpæ reus ſit, eum neq; ſeculari, neq; Eccleſiaſtica dignitate potiri, neq; parendum ei. Confirmationem, quam chriſmate Pontifices inducunt & extremam unctionem inter Eccleſiae ſacra minimè contineri. Auricularem confeſſionem nugacem eſſe, ſufficere ſua quemq; DEO in cubili ſuo confiteri peccata. Baptiſma fluvialis unda, nulla interjecta ſacri olei mixtura, recipiendum. Cæmeteriorum inanem uſum queſtus cauſa repertum, quacunq; tegantur tellure humana corpora, nil diſtare. Templum DEI late patentis ipſum mundum eſſe, coarctare majeſtatem ejus, qui Eccleſias, monaſteria, Oratoriaq; conſtruunt, tanquam propitior in eis Divina bonitas inveniatur. Sacerdotales veſtes, altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patenas, vaſaq; hujusmodi nil habere momenti. Sacerdotem quocunq; loco, quocunq; tempore, ſacrum Chriſti corpus conficere poſſe, petentibusq; miniſtrare, ſufficere ſi verba ſacramentalia tantum dicat. Suffragia ſanctorum, in cœlis cum Chriſto regnantium, fruſtra impetrari, quæ juvare non poſſunt. In Canonicis horis cantandis dicendisq; fruſtra tempus teri. Nulla die*

*ab opere ceſſandum, niſi qvæ Dominica nunc appellatur. Celebritates ſanctorum rurſus rejiciendas. Jejuniis qvoq; ab Eccleſia inſtitutis nihil ineſſe meriti.* Ecce doctrinæ faciem, Lutheraniſmum ante Lutherum in pleriſq; repræſentantem! In articulo qvoq; de S. Cœnâ noſtros potius qvam Calvinianos, non ante Lutherum tantum, ſed ſub initium qvoq; reformationis fuiſſe, ab *Æg. Strauchio, Joachimo Heſterbergio*, aliisq; abundè probatum eſt. In Bohemiâ verò ſub hujus ſeculi initium ita eos ad Calvinianam opinionem deſciviſſe, ut & noſtros ingenti odio fuerint perſecuti, *D. Jo. Hedericus* in Notationibus ad Confeſſionem Waldenſium memorabili operâ recenſet; qvod ſcriptum pleriq; ignorarunt, qvi de Waldenſibus ſcripſerunt.

XXIV. De Clericorum conjugio Canon V. Apoſtolorum, (hos enim Canonum iſtorum auctores eſſe, *apud omnes Catholicos certitudinem ſuam habere*, non dubitat aſſerere *Laur. Beyerlinck*) ita ſancit: *Epiſcopus aut presbyter uxorem propriam ſub obtentu religionis neqvaqvam ἐκβαλλέτω, ejiciat. Si verò rejecerit, excommunicetur, ſi perſeveraverit, dejiciatur.* Qvis hæc verba legens & naturale, qvod intellectui primò influit, ſignificatum attendens, non ſtatim hoc exaudit: à nullo conjugalium officiorum, qvod uxoris propriæ nomen includit ſub pietatis προφάσει, ſeparandam excludendamq; eſſe conjugem? Nec enim aliter intelligi volumus, qvam loquimur. Febriculoſam hujus canonis interpretationem fingit *Rob. Bellarminus*, de rejectione ex curâ, non officio conjugali, loqvi Apoſtolos cauſatus. De qvo enim gentilium, nedum Epiſcoporum præſumas, qvod excludere curâ velit uxorem, probam, pudicam, benè de ſe meritam? Ut canone id ei prohibente ſit opus. Qvæ hæc pietatis ſpecies eſt, negare propriæ carni, qvod alienæ jure naturæ elargiris? *Nemo unqvam ſuammet carnem odio habuit, ſed nutrit curatq; eam, qvemadmodum*

*dum & Dominus Eccleſiam*, Eph. V. 29. Si verò curâ complecti uxorem Epiſcopus, cumq; eâ in domo ſuâ converſari qvotidie debuit, id qvomodo potuit fieri ſine aliorum offendiculo, qvod tamen ſub ſalutis jacturâ vitandum eſſe monuit Chriſtus? Qvare cordate JCtus Pariſienſis Pontificius, *Jo. Qvint. Haduus*, commentario ad iſtum canonem: *ſi pietatis obtentu ſacratus miniſter uxorem ſuam repudiarit, ab Eccleſiâ excludatur. Hoc enim videtur in calumniam fieri nuptiarum, tanqvam mixtio conjugum faciat immunditiam. Scriptura vero dicit: honorabiles nuptias & impollutum cubile. Meminit autem & Epiſcoporum, conjuges habentium, quia liberum tunc erat Epiſcopis legitimum cum mulieribus conjugium.* Ecce qvanta vis eſt veritatis!

XXV. Non diffitendum eſt, veteres qvosdam ſenſiſſe: Propheticum donum in Eccleſiâ ita fore perpetuum, ut ea non futura ſit vera Eccleſia, qvæ hoc dono deſtitueretur. Docuit id adductis teſtimoniis in Diſſertationibus Cyprianicis *Henr. Dodwellus*. Dum verò ad locum *Epiphanij* Hær. XLIIX. qvi ita habet: *ſi cæleſtia illa dona recipienda ſunt, iisq; præditam Eccleſiam eſſe convenit, cur, inqviunt, poſt Montanum nullos habent Catholici prophetas? Divinumne eſt munus exhauſtum? At in Eccleſiâ minimè id qvidem eſt exhauſtum. Abſit!* hanc addit commentatiunculam: *planè hæc Epiphaniano ſeculo non conveniunt, qvo jam in confeſſo erat, hæc charismata eousq; non permanaſſe. Exiſtimo igitur, ex antiqviore aliqvo ſcriptore illum hæc imperitè deſcripſiſſe*; hem, qvam temerariam criſin vir hic eruditus exercet! Itane *Epiphanium*, illud omnis antiqvitatis & eruditionis promptuarium, imperitè ſua aliunde deſcribere? *Auguſtinus*, qvum in libro de verâ religione & alibi negaſſet, miracula ad ſua usq; tempora durare permiſſa eſſe, ſententiam hanc generalem libro I Retractationum c. XV. corrigit, dicens, verum eqvidem hoc eſſe de donis miraculoſis, in pri-

mitivá Eccleſia freqventibus, non de miraculis omnibus: *non ſic accipiendum eſt*, ait, *qvod dixi, ut nunc in Chriſti nomine fieri miracula nulla credantur.* Qvalia nempe in libris de Civitate Dei complura operosè recenſet. Nec à miraculorum narratione ſibi temperant Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Euſebius, Socrates, aliiq;. Ergone & hi heroes, *Epiphanio* vel coævi vel poſteriores, ſuâ ex aliis imperitè deſcribunt? De *Auguſtino* eqvidem, deq; miraculis ab ipſo nimis magno numero libr. XXII. de Civ. Dei cap. IIX. enarratis non defuerunt, qvi neſcio qvibus additionibus à seqviore qvodam ſanctulo corruptum eſſe locum exiſtimarent, cum nimis remota ab Apoſtolis eſſet *Auguſtini* ætas, juxtaq; ipſum *Auguſtinum* Eccleſia jam plantata qvi miracula reqvirat, ipſe magnum proclametur miraculum. Qvorum rationes tractatu de miraculis diffuſa opera adducit probatq; *D. Sebaſt. Niemannus.* Sed verò utrum ſufficientibus argumentis loci Auguſtiniani adulteratio comprobari poſſit, ego qvidem vehementer dubito. Videantur, qvæ eam in rem dixi tractatu de origine & ſuperſtitione Miſſarum, cap. X. §. XXIV.

XXVI. De jure plebis in eligendo Eccleſiæ miniſtro non eſt clarior in totâ antiqvitate locus, qvam ille *Cypriani*, Epiſt. LXVII. juxta *Ceſtrienſis* ordinem. Verba hæc ſunt: *plebs ipſa maximè habet poteſtatem, vel eligendi dignos ſacerdotes, vel indignos recuſandi. Qvod & ipſum videmus de Divinâ auctoritate deſcendere, ut ſacerdos plebe præſente ſub omnium oculis eligatur & dignus atq; idoneus publico judicio ac teſtimonio comprobetur?* Qvæſo te per Deum immortalem, qvomodo hæc Cyprianica cum illis Tridentini Concilii compones? *Docet SS. Synodus, in ordinatione Epiſcoporum, ſacerdotum & cæterorum ordinum, nec populi nec cujusvis ſecularis poteſtatis & magiſtratus conſenſum, ſive vocationem, ſive auctoritatem ita reqviri,*

*ut*

*ut ſine eâ irrita ſit ordinatio.* Si populus habet poteſtatem, indignos recuſandi, irrita utiq; ordinatio eſt, qvæ ſine non dicam conſenſu, ſed auctoritate populi ſuſcipitur. Vanam *Bellarmini* diſtinctionem: *populum habere poteſtatem eligendi per teſtimonium, non per calculum, more teſtis, non judicij, infinita ſic* in *Cypriano* aliisq; loca falſitatis condemnant. Qvomodo teſtimonium tantum reddat, qvi habet poteſtatem indignos recuſandi? Et qvidem, ex jure Divino, ut contra *Bellarminum* vindicat *Dav Blondellus*, Apologiæ Sect. III. p. 382. ſeqq. adverſus qvod nemini diſpenſare fas eſt? *Cyprianus* verò Epiſt. XVII. ad plebem: *cum pace nobis omnibus à Domino prius data ad eccleſiam regredi cœperimus, examinabuntur ſingula præſentibus & JUDICANTIBUS vobis.* Idem Epiſtolâ XXXIV. *Cui rei non potui me ſolum JUDICEM dare, cum hæc ſingulorum tractanda ſit ratio, non tantum cum collegis meis, ſed cum plebe ipſâ univerſâ.* Tertullianus Apologiæ C. XXXIX. *ibidem*, in conventu Seniorum, qvos inter & Laici, *JUDICABATUR magno cum pondere, ut apud certos de DEI conſpectu, ſummumq; futuri judicii præjudicium eſt.* De cauſis gravioribus aliis, extra electionis negotium, hæc qvidem loca agunt, ſed qvantò magis neceſſarium erit plebis judicium in causâ omnium graviſſimâ, electione videlicet miniſtri?

XXVII. Non exiſtimo, cuiqvam ullum poſſe remanere dubium, extitiſſe in primitivâ Eccleſiâ Presbyterium qvoddam, ſeu conſeſſum & judicium Eccleſiaſticum, Conſiſtoriis noſtris hodiernis non abſimile, ex Eccleſiaſticis pariter & Politicis perſonis, qvos Seniores Laicos vocant, conſtans, vocandis & in ordine continendis Eccleſiæ miniſtris, cognoſcendisq; æqvis votis cauſis Eccleſiaſticis inſtitutum; qvi elegantiſſimum *Dav. Blondelli* libellum, de jure plebis in regimine Eccleſiaſtico, legerit curatius. Ego nunc unicum locum

cum allego ex *Ambroſii*, vel juxta *Caveum* Hilarii potius Diaconi, qvi eodem tempore vixit, Commentario in prioris epiſtolæ ad Timotheum caput qvintum; ubi ſtatim in fronte legitur: *apud omnes gentes honorabilis eſt ſenectus: unde & Synagoga & poſtea Eccleſia Seniores habuit, qvorum ſine conſilio nihil agebatur in Eccleſiâ. Qvod qvâ negligentiâ obſoleverit, neſcio, niſi forte doctorum deſidiâ, aut magis ſuperbiâ, dum ſoli volunt aliqvid videri.* Judica, lector, qvi extra partes poſitus es, & arrige aures tuas Curia Romana cum Clero, qvi à regimine Eccleſiæ Laicos jam diu procul arcetis! Reliqva ex *Optato Milevitano, Tertulliano, Origene* & *Auguſtino* loca deſignavit in vera, ceu vocat, primorum Chriſtianorum effigiatione, libro II. Cap. V. §. XXI. *Godofredus Arnoldus.* Qvi verò dum in paragrapho ſtatim ſequente presbyterium hoc laicum juri Imperatoris & curæ qvoad ſacra opponit, atq; Conſtantinum Magnum eo, qvod ſe Epiſcopum vocaverit in iis, quæ ſunt extra Eccleſiam, quaſi connivente vel etiam curante Clero jura presbyterii ad ſe pertraxerit, acerbe perſtringit, more ſuo utitur, hoc eſt, id intendit, ut cura omni & jure circa ſacra Magiſtratui & Miniſterio erepta, cuilibet Eccleſiæ abſolutam credendi ſeſeq; gubernandi libertatem adſcribat. Qui fœdus Indifferentiſmus ultimus eſt omnium operum ſcriptorumq; *Arnoldinorum* ſcopus.

XXIIX. Nemo Romanorum Pontificum primatum efficacius rejecit, quam Romanus ſeculo VI. Pontifex, *Gregorius* M. quando *univerſalis Epiſcopi* titulum *ſtultum, profanum, ſuperbum, frivolum, ſuperſtitioſum, pompaticum, ſceleſtum ac nefandum electionis vocabulum* appellitavit. Nec immeritò. Noverat enim, jam tribus ante ſe ſeculis *Tertullianum* verè ſcripſiſſe: *ſolum Imperatorem ſuper omnes homines à DEO eſſe conſtitutum, omnibus majorem & ſolo vero DEO minorem.* Neſciunt, qvid

dicere

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/176 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

dicere velint Romanæ Thaidis adoratores. *Natalis Alexander* laudat Gregorium ab humilitate, partim quod Joannis Conſtantinopolitani, ſeſe univerſalem Patriarcham inſcribentis, faſtum eo pacto coercuerit, partim qvod ipſe univerſalis Epiſcopus, quod tamen decus à Concilio Chalcedonenſi ipſi fuerit oblatum, noluerit appellari. Sed vero non de modeſtia, ſed de jure gerendi tituli Gregorio ſermo erat, quem ex eo Joanni abjudicat, quod nemini ille competere poſſit, niſi AntiChriſti præcurſori, qvi *omnia, qvæ uni ſoli capiti cohærent, videlicet Chriſto per elationem pompatici ſermonis ejusdem Chriſti ſibi ſtudeat membra ſubjugare.* Injuria eſt hæc in Chriſtum commiſſa, non immodeſtia. Et qvid dicemus amplius? Gregorio *in iſto ſceleſto vocabulo conſentire nihil eſt aliud, qvam fidem perdere.* Fidem autem perdere, per nomen blasphemiæ ſibi, cum Chriſto competat, attributum, non eſt immodeſte ſe gerere, ſed hæreſin committere. Ad exemplum nempe primi apoſtatæ, qvi quæ DEO competunt, ſibi hæretico auſu adſcripſit. Ita paſſim Gregorius libr. IV. epiſt. XXX. XXXII. XXXVI. XXXVIII. & lib. VI. epiſt. XXIV. Si verò modeſtia fuit univerſalis Epiſcopi titulo nolle condecorari, qvam immodeſtus fuerit neceſſe eſt Bonifacius III. Gregorii ſucceſſor, qvi, dicente Platina, *à Phoca Imperatore obtinuit, magna tamen contentione, ut ſedes B. Petri Apoſtoli, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum, ita & diceretur & haberetur ab omnibus.* Ex quo concludit illuſtris JCtus, *Caſpar Zieglerus*, commentario de Epiſcopis cap. VI. §. LXIV. *& ſic igitur titulus, qvem paulò ante Conſtantinopolitanus Patriarcha ſibi arrogaverat, Epiſcopi Romani proprius factus eſt, ut adeo ex dicto Gregorii, paulò ante adducto, ille qvidem præcurſor AntiChriſti, hic præcurſorem inſecutus AntiChriſtus ipſe appellari mereatur.* Videatur interea *D. Dannhawerus* in Anti-Chriſtoſophia pag. 773. ſeq.

XXIX.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/177 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

XXIX. Narratio de Friderico I. Imperatore, ab Alexandro P. III. pede conculcato, qvam non Itali tantum, *Stella* imprimis Venetus, qvi memorabilem addit obteſtationem: *fateor atq; DEum meum teſtor, me non falſa ſcripſiſſe*; (qvi credi vix poteſt, niſi execrabiliter fuiſſet impius, lectorem fallere voluiſſe) ſed è Danis *Saxo*, è Germanis *Nauclerus*, ex Græcis *Gennadius* recenſent, non adeò improbabilis videri debet iis, qvi expendunt, à Pontificibus integris regnis exutos eſſe Reges & Imperatores; Alexandrum verò, Henricum II. Angliæ Regem, referente *Pariſio*, pueri more virgis cædi juſſiſſe, idqve factum reapſe à Clericis eſſe; fidemqve rei geſtæ facere picturas ſcripturasqve antiqvas, Venetiis & alibi hanc hiſtoriam repræſentantes. Id eqvidem certum eſt, ab animo hujus Pontificis feroci & ſuperbo facinus illud alienum non fuiſſe. Qvod ſi in dubium vocetur, cauſam nullam eſſe, cur non ejusdem Pontificis flagitium, in Regem Angliæ perpetratum, derogata *Matthæo Pariſio* fide, eodem jure vel incertitudinis arguatur, vel falſitatis. Imò majori. Qvo nempe tetrius & ab omni hominum memoria inauditum magis factum eſt, Principem regia dignitate in tot hominum myriadas imperium agitantem, infami & plusqvam ſervili caſtigationi objici. At non memini, *Pariſii* narrationem de Angliæ rege ab ullo unqvam in falſitatis ſuſpicionem fuiſſe adductam. *Baronius* eqvidem ad A. DCCCCVI. de *Pariſio* conqveritur, qvod fuerit animo in Apoſtolicam ſedem infenſiſſimo, probraque interpretatur, in Pontifices conjecta, qvæ de iisdem non à pietate tantum, ſed & ab honeſtate aliena commemoret. Comprobat hujus judicium *Natalis Alexander*. Verum ita qvisqvis ſcriptorum de Pontificum ſceleribus qvidqvam unqvam memoriæ mandavit, refelli poterit & monumenta etiam veriſſima qvaſi una litura induci. Erat *Pariſius*, ut

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/178 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

ut in Prolegomenis ad Exercitationes ſuas ait *Caſaubonus*, Papiſmi ſuperſtitionibus addictus, ut nemo facile unqvam; qvî itaqve injuriis onerare velle ſacroſanctum totius Eccleſiæ caput poterit præſumi? Nec verò ſummæ in hiſtorico fidei memor hoc ipſum facere vel *Baronius* ipſe audet, qvi culpam malè in Pontifices dictorum in additamentorum *Pariſianorum* auctorem conjicit: *niſi probra illa*, ait, *fuerint additamenta ejus, qvi Pariſium edidit. Qvæ ſi qvis demat, aureum ſane dixeris commentarium, utpote qvod ex publicis monumentis, totidem verbis redditis, egregie contextum & coagmentatum inveniatur.* Tanto tamqve inæſtimabili encomio ut *Pariſium* contra propriam voluntatem mactaret *Baronius*, ipſa manifeſta rei veritas ipſi extorſit. Qvæ vero de additamento Cardinalis habet pudendum effugium ſunt, cum ne micam qvidem de cætero haberet, qvod contra *Pariſium* diceret. Extare ait *Caſaubonus* in variis Bibliothecis Anglicanis probatiſſimos *Pariſii* codices, qvi qvæ in Pontifices dicit *Pariſius*, qvoad ipſam literam & graviora etiam complectantur. Qvi verò ex Romana Eccleſia qvondam exierunt, qvibusqve impia & ſceleſta multorum Pontificum vita nimis qvam perſpecta eſt, ut cauſæ iis dubitandi nullæ ſunt, de iis, qvæ de Pontificibus *Pariſius* refert: ita nec memini, à qvoqvam noſtrorum, qvæ de *Henrico II.* Angliæ Rege, virgis Pontificis juſſu caſtigato, enarrat, in dubium vocata fuiſſe. Econtra fidem *Pariſii* & candorem ſupra modum omnes dilaudant. Qvos inter Gvil. Cave: *vir verè magnus, qvi inter omnes hiſtoriæ noſtræ ſcriptores tum fide tum prudenti liberaqve rerum tractatione palmam facile præripit, qvo nemo vixit unqvam, judice Caſaubono, neq; Papiſmi ſuperſtitionibus addictior, neq; rapinarum horribilium, qvas Papæ in Anglia exercuerunt, fidelior teſtis & expoſitor.* Nec qvisqvam eſt, qvi aliter ſentiat, *Spanhemius, Kortholtus, Wagenſeilius, Whearus, Struvius,*



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/179 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

*Nevus*, qvosqve in Cenſura celebr. auct. magna copia adducit *Thomas Pope - Blount*. De cætero verè Fridericum ab Alexandro pede percuſſum congeſtis in nervos argumentis in Academia Regiomontana defendit Anno MDCLXXXIIX. *Michaël Hoynovius*. De negante tamen ſententia omninò conferendū eſt judicium civis mei, quem amo coloq́, *Joannis Burchardi Maij*, diſſertatione Kilonii edita Anno MDCCI. in qua incomparabili diligentia utriusq́ opinionis auctores ex omni ætate conferuntur, brevibusq; momentis controverſia deciditur.

XXX. In excommunicatione *Theodoſii* Imperatoris *Theodoretus* libro V. Hiſt. Eccl. c. XIIX. ſummam modeſtiam & excommunicantis & excommunicati deſcribit. Cum major excommunicatio ſit, qvæ â communione fidelium ſeparat, ut ex Synodo Nemauſenſi *du Freſnius* docet, Theodoſius verò ab Eccleſiâ fidelium ad octavum usqve menſem ſeparatus vixerit, fruſtra *Natalis Alexander* negat, eundem excommunicatum eſſe. Sunt in excommunicatione majore qvidam interdum rigoris gradus, qvi ex Chriſtianæ prudentiæ regulis, à *D. Jo. Ad. Oſiandro* Part. II. Theol. Caſual. p. 1616. ſpeciatim notatis, in perſona principe adhiberi neqveunt, ut tamen ideo excommunicatio ipſa major eſſe non deſinat. Eccleſiæ enim (non Divino) inſtituto factum eſt, ut declarationi illi publicæ, quod excommunicatus non cenſeatur membrorum Eccleſiæ numero, neq́ beneficiis ejus amplius frui poſſit, neq́ qvisquam cum eo illa familiaritate, qvæ ejusdem ſpiritus conſortes decet, converſari debeat, (hæc enim ſola verbis Apoſtolicis: ἐξαρθῆναι ἐκ μέσου, οὐ συναναμίγνυσθαι, οὐ συνεσθίειν & ſimilibus, metaphorice potius, qvam proprie ſumendis, indigitari, interpretum qvodam conſenſu edocemur) accederet *aliqvid*, ut celeberrimus JCtus, *Joannes Schilterus*, loqvitur, libro de libert. Eccl. Germanicarum II. c. IV. §. VI. *civilis coër-*

*citionis*

*citionis admixtum*, qvo nimirum vis aliqva externa repellendi ab Eccleſia & à converſatione civili removendi, implorato in ſubſidium, ut vocant, brachio ſeculari adhibebatur. Qvod poſtea in Papatu in regibus & principibus ad ipſius regiminis exſpoliationem fuit extenſum. Qvamquam igitur & ad hunc & ad priorem illum paulò moderatiorem cenſuræ gradum, qvidpiam coërcitionis civilis in ſe includentem, cui alios ſine ulla injuſtitia obnoxios eſſe poſſe adverſus Socinianos fuſe diſputat *D. Schertzerus* Collegio Anti-Socin. Diſp. CXXIX. pag. 1103. reges principesq; adſtringi nefas ſit, tamen declarationem illam, qva qvi horrendo ſcandalo Eccleſiam adflixit, declaratur publicè, non haberi pro membro Eccleſiæ, ſed pro ethnico & publicano, imò pro diaboli mancipio, qvoadusq; cum Eccleſia redierit in gratiam, qva nempe ſacrorum omnium communione, ſine tamen ulla vi externa, non tamen niſi in ſummo & inevitabili neceſſitatis gradu privari poteſt & olim privabatur, ceu circa Theodoſium ab *Ambroſio* factum eſt, non putaverim cum *D. Kromayero*, Cent. IV. p. 150. & *D. Dannhawero* in Chriſteide p. 1131. ad excommunicationem minorem, ſed ad majoris potius remiſſiorem gradum referendam eſſe, cum revera Theodoſius fuerit παντελῶς ἀφωρισμένος τῆς ἐκκλησίας καὶ ἀκοινώνητος, ut *Balſamon* excommunicationem majorem deſcribit. Id duntaxat durius videri poterat, qvod minatus fuerit *Ambroſius*, ſe Imperatorem ab ingreſſu ſacri veſtibuli repulſurum eſſe, qvæ vis externa in ſummam Majeſtatem ſit injuria, imò judice *Thoma Hobbeſio* læſæ majeſtatis crimini proxima. Sed qvamquam admittere poſſimus, migraſſe ea in re officii limites *Ambroſium*, tamen nec hic vim ipſum intuliſſe Theodoſio, ſed tantum morem repræſentaſſe Eccleſiæ, eiq; ſi ſe ſubjicere nolit Imperator & huic conſvetudini vel manum vel gladium vel militem oppo-

ſuerit, acqvieturum ſe eſſe, atqve adeo nec hac in re *quidquam egiſſe Ambroſium, præterqvam qvod munus ſacerdotale, qva tale, inferebat*, edicere non veretur *D. Chriſtian. Drejerus* in Controv. Pontif. Diſp. XVI. ſub finem. Nempe id dicere ad Imperatorem voluit *Ambroſius*, qvod *Gregorius Turonenſis* libr. V. Cap. XVIII. ad Hilpericum Regem: *loqvimur tibi, ſed ſi volueris, audis, ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is, qui ſe pronunciavit eſſe juſtitiam?* De ipſo facto probo verba benè de me meriti doctoris, *Dannhaweri*, qvæ leguntur in Theologiæ Conſcientiariæ Part I. p. 910. *Tene, ô Princeps, Evangelium, qvod habes, ne corona tua excidat, qvam non violabit ſed tenere juvabit Hierurgia Eccleſiaſtica, cui tamen ſubeſſe non detrectabit Magiſtratus, ſicut Theodoſius Ambroſio, in poteſtate clavium, (latiſſimè extendendâ ad omnem fratrem in Chriſto, I. Cor. V. 11.) ſed Ambroſio, ut organo Chriſti, verbo, ut ſceptro Chriſti, animæ Cæſareæ curatori, ut Medico.* Qvæ moderationem *D. Hülſemanni*, in Præfatione libri de correptione fraternâ proditam, non excludunt, abſunt verò à *M. Ant. de Dominis* ſententiâ, qvi Principem excommunicari poſſe planè negat; longiusq; ab *Eraſti* atq; *Seldeni* opinione, qvi excommunicationem omnem Divino mandato niti inficiantur.

XXXI. Ut in aliis ſe uſurpato Romani Pontificis dominatui Eccleſia Gallicana ſubinde maſculè & cordatè oppoſuit: ita & ex ejusdem doctoribus *Edmundus Richerius* qvatuor libris Hiſtoriæ Conciliorum Generalium, Conſtantinum M. atqve alios Imperatores Chriſtianos, velut communes Epiſcopos & exterioris diſciplinæ aſſertores, octo prima Concilia univerſalia *pro juris Divini, naturalis & canonici vindiciis* indixiſſe & congregaſſe, invictis argumentis probavit & adverſus exortos ſibi in ipſâ Galliâ adverſarios, Perronium, Hubaldinum, Goudium, ipſorumq; aſſeclas ita defendit; ut nec

negare

negare id poſtea, qvantumlibet hac in parte Pontifici propitius, potuerit *Ludov. Maimburgius*; plura Concilia Generalia neqꝫ convocaſſe Pontificem, neq; iisdem præſediſſe; qvoy qv' il fuſt au lieu, ou l'on celebrà le Concile, *qvamqvam fuerit in loco, ubi celebratum fuit concilium*; libro de Prærog. Eccleſ. Roman. c. V.

XXXII. Laicorum Baptiſmum verum licitumqꝫ, immò in caſu neceſſitatis neceſſarium eſſe, magno conſenſu vetus docuit Eccleſia. E qvâ duos tantum illuſtres doctores audiemus. *Hieronymus* libro adverſus Luciferianos: *ſi cogat neceſſitas baptizare, ſcimus, etiam Laicis convenire.* Tertullianus libro de Baptiſmo: *Laicis baptizandi jus eſt, ac baptiſmus ab omnibus exerceri poteſt.* Qvæ aliaqꝫ tam clara loca *Jo. Calvinum* in Inſtitutionibus coëgerunt confiteri: *multis abhinc ſeculis, adeoq́ʒ ab ipſo ferè Eccleſiæ exordio receptum fuiſſe, ut in periculo mortis Laici baptizarent, ſi miniſter in tempore non adeſſet.* Verum non obſtante hoc antiqvæ Eccleſiæ more, tanto tamq; implacabili odio idem *Calvinus* Laicorum baptiſmum proſecutus eſt, ut cum Montisbelgardenſes, Lutheranum nuper Principem adepti, interrogarent, qvid faciendum eſſet, ſi is privatum mulierum baptiſmum urgeret, præ iracundiæ furore non potuerit ſibi temperare, qvin ſcriberet Epiſtolâ LIII. *Baptiſmum obſtetricibus* (qvæ & ipſæ Laicorum nomine à veteribus manifeſtè continentur,) *permittere, impia & ſacrilega eſt Baptiſmi profanatio. Ergo hoc caput non tantum repudiandum judico, verum ſi urgere vos Princeps ultra modum pergat, usqꝫ ad ſanguinem reſiſtendum potius, qvam huic non tolerandæ ſuperſtitioni conſentiatis.* Capite hinc documentum, qvotqvot de unione Reformatorum cum Lutheranis bonam ſpem concipitis, boni viri. Ità *Calvinus* Reformatorum promachus Reformatis conſuluit, qvi ſub Principe Lutherano exiſtebant. Qvid facturos

ros eſſe *Calvini* diſcipulos exiſtimabimus, ſi ſub magiſtratu Reformato ſe Lutherani iis conjunxerint, ſi vel ſanctiſſimè promiſerint, liberum fore Lutheranis religionis ipſorum ad veterem normam & confeſſionem exercitium? Sed audiamus porro rabioſi novatoris in baptiſmum à laicis adminiſtratum invectivam. Epiſtolâ CCCXXVI. *adulterinum* vocat *Baptiſmum, qvi adminiſtratus eſt à privato homine*; mulierum verò Baptiſmum prodigioſam audaciam & flagitium, naturæ legi adverſum. Neqve vel hilo mitius ad hunc usqve diem de mulierum baptiſmo ſentiunt reliqvi Reformati, *Beza*, *Chamierus*, *Zanchius*, *Bucanus*, *Maſſonius*, *Scarpius*, *Walæus*, *Wendelinus*, *Rivetus*, *Voſſius*, aliiqve. Planè verò intolerabile in *Calvino* erat, mulierum Baptiſmo Carthaginenſe opponere Concilium, cujus canonem centeſimum: *mulier baptizare non præſumat*, non ignoraverat, jam *Gratianum* olim de Conſecr. Diſt. IV. cap. *mulier* ex canone nonageſimo nono: *mulier, qvamvis docta & ſancta, viros in conventu docere non præſumat*, de eodem conventu publico juſtiſſime expoſuiſſe; ut adeo canon centeſimus completo ſenſu exaudiendus ſit: mulier in conventu Eccleſiæ baptizare non præſumat. Qvod ex *Urbani* reſcripto cauſ. XXX. Qvæſt. III. c. IV. *Gratianus* comprobat, qvi Vitali presbytero Brixienſi ſcripſerat: *baptiſmum eſſe, ſi inſtante neceſſitate fœmina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit.* Conſulatur de cætero diligentiſſima *Joannis Trellundi* de γυναικοβαπτισμῷ diſputatio, Præſide celeberrimo Theologo, *Hectore Godofr. Maſio*, Havniæ habita anno MDCLXXXIX.

XXXIII. De Arianorum Baptiſmo, etiam in nomine Patris, Filii & Spiritus S. adminiſtrato, graviter *Athanaſius* (qvo nemo mentem Concilii Niceni rectius intellexit) pronunciat, oratione III. contra Arianos, circa medium: *ſi in nomine Patris & Filii datur perfectitudo, plenaq; initiatio, Patrem*

*autem*

*autem verum illi non pronunciant, eò qvod negent, aliqvid ex eo exiſtere & ſimile eſſe illius ſubſtantiæ; negant qvoq́, verum Filium, aliumq́, ex non entibus conditum ſibi comminiſcentes in Baptismate proferunt: qvi qvæſo igitur non planè vanū ac inutile fuerit baptisma, qvod ab illis datur, qvum id nonniſi ſpecies ſit & inane ſimulacrum, ipſiq́; eâ re nihil ſolidæ opis adferant ad pietatem.* Et ne qvis putet, non protuliſſe Arianos in Baptiſmo perſonas Divinas, aut iisdem aliqvid, à Chriſto non præceptum, addidiſſe, ſeqventia ſubijcit: *non in Patre & Filio tribuunt Baptisma Ariani, ſed in creatore & creaturâ, in factore & factura.* ( ſenſum nimirum Arianorum reſpiciendo ) *Sicut igitur creatura diverſum quiddam eſt à Filio: ita diverſum qviddam à vero Baptiſmate eſt, qvod exiſtimatur ab illis dari, tametſi nomen Patris & Filij, qvia illa in Scripturis vident, ſimulent ſeſe nominare.* (Ergo baptizarunt eâ formâ, qvæ in Scripturis expreſſa eſt: imò non veretur *Joannes Harduinus*, Qvæſtionibus de Baptiſmo ſub finem, pronunciare: *vix ullos extitiſſe, qvi Evangelica verba mutarent, qvæ inter abluendum eduntur, ex Auguſtino, indubitatisq́, aliis argumentis exploratum compertumq́, eſt.* Excipit autem Deuterii Ariani facinus apud Nicephorum; cæteras patrum relationes circa verborum factam ab Anti-Trinitariis mutationem de verborum potius ſenſu, qvam verbis ipſis interpretandas eſſe docet. Sed loqvatur iterum Athanaſius:) *Non enim, qui ſimpliciter ait Domine, is eſt, qvi donat legitimum baptisma, ſed QVI NOMEN EXPRIMIT ET FIDEM RECTAM HABET. Jdeoq́, Salvator non qvovis modo baptizandum præcepit, ſed primum dixit: docete, ac deinde: baptizate in nomine Patris, Filij ac Spiritus Sancti, ut ex doctrinâ rectâ fides oriretur & cum fide Baptismatis integra initiatio perficeretur.* Addit deniq;: *certè aliæ etiam hæreſes, eaqve numero non exiguæ, nominetenus,* (formam Chriſti retinendo) *ritum*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/185 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

*ritum iſtum pronunciant, ſed non rectè ſentientes, neq; ſanam fidem retinentes, inutilem poſſident aqvam, qvam impertiunt, nimirum Numine & religione deſtitutam, adeò, ut qui ab illis aſperguntur, ſordeſcant potius pravâ religione, qvam redimantur.* Inter hæreſes illas Pauliana eſt, cum qvâ Sociniana, aliæq; plurimæ ratione negatæ Trinitatis planè conveniunt, cujus ſectarii in Concilio Niceno, c. XIX. & Phrygum nomine veniunt, qui in Concilio Laodiceno c. IIX. rebaptizari juſſi ſunt: de quibus *Baronius* ad annum CCLX. N. XVI. *Qvod ad Pepuzenos ſpectat, licet ſcirent, Patrem, Filium & Spiritum S. ab illis in collatione baptiſmi nominari, tamen qvod per Spiritum S. illi Montanum intelligerent, nullum plane à Pepuzenis collatum fuiſſe Baptiſmum, in SS. Nicenâ Synodo ſtatuerunt, nempe tum Paulianiſtas, tum Cataphrygas, ad Eccleſiam confugientes, eſſe rebaptizandos; qvod etiam in Synodo Laodicenâ reperitur decretum.* Et ratio, cur horum omnium baptismus ab antiqva puriore Eccleſia pro irrito invalidoq; declaratus ſit, manifeſta eſt, qvia negato ſacroſanctæ Trinitatis myſterio omnia reliqva myſteria, qvocunq; nomine veniant, unà negantur. Ubi verò nullum myſterium eſt, ibi nullus Chriſtianismus eſt, merus Naturalismus & Gentilismus. Ubi Chriſtianismus nullus eſt, ibi Eccleſia Chriſtiana nulla eſt. Cui cum ſoli Divina myſteria & præſidia ſalutis concredita ſint, non cœtui cuiqvam alii, ultro patet, ubi fides & confeſſio SS. Trinitatis non eſt, ibi qvoqve nullam eſſe vel ſacramenti vel qvorumlibet aliorum mediorum ſalutis diſpenſationem. Conſeqventer in Eccleſiis, Trinitatis dogma negantibus, nullum eſſe baptiſmum, qvantumlibet ille exterioribus verbis non aliter ac Chriſtus præcepit, adminiſtretur. Sicut doctorem juris aut Theologiæ extra locum, cui ab Imperatore creandi doctores privilegium conceſſum eſt, fruſtra creaveris, ſi vel millies verba omnia adhibueris, qvibus creari ſolent doctores.

XXXIV.

XXXIV. Videtur *Ambroſius*, libro I. de Spiritu S. c. III. Baptismum in nomine Chriſti, aut etiam in nomine Spiritus S. non nominatis cæteris perſonis, adminiſtratum, plane pro rato & legitimo habere. Verba è cæteris extantiora producemus: *denique & illi ipſi, qui dixerant: nec ſi Spiritus S. ſit, audivimus, baptizati ſunt poſtea in nomine Domini Jeſu Chriſti. Et hoc abundavit ad gratiam, quia jam Spiritum S. Paulo prædicante cognoverant.* Sed oſtenſum eſt ſolidis fundamentis â *Joanne Harduino*, Societatis Jeſu Presbytero Pariſienſi Diatribâ de Baptiſmo, unum *Ambroſii* ſcopum eſſe, demonſtrare, ad fidei ante Baptismum confeſſionem neceſſariò requiri, ut omnium trium perſonarum æqua ſit in baptizando notitia, nec Baptismus, ignoratâ unâ, validus eſſe queat. Iſtas autem loquendi formas non exprimere Baptiſmi formam, (à quâ Apoſtoli citra ſacrilegium recedere non poterant) ſed confeſſionem, Baptiſmum antecedentem. Ut adeò hoc velit dicere *Ambroſius*: baptizati ſunt præviâ confeſſione Chriſti in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Et hoc ideò iis gratiam, quâ antea, ob perperam collatum Baptiſmum, (hac enim in opinione eſt *Ambroſius*) deſtituebantur, abundè contulit, quia & Spiritus S. notitiam à Paulo hauſerant, cum antea jam habuiſſent Patris & Chriſti, neq; adeò amplius, plenam eos SS. Trinitatis fidem habuiſſe, dubitari poterat. Hac ratione niſi expoſueris, quomodo *Ambroſii* verba cum aliis *Ambroſii* compoſueris, quæ libro de iis, qui myſteriis initiantur, c. IV. comparent? *Credit etiam Catechumenus in crucem Domini Jeſu, quâ & ipſe ſignatur. Sed niſi baptizatus fuerit in nomine Patris, Filii & Spiritus S. remiſſionem non poteſt accipere peccatorum, nec ſpiritualis gratiæ munus haurire.*

XXXV. *Cyrilli Hieroſolymitani*, ſi is indubitatus auctor eſt, verba, quæ leguntur in Catecheſi Myſtagogicâ IV. atque ita habent: *qui aquam aliquando mutavit in vinum, numquid non erit dignus, cui credamus, quod vinum transmutavit in ſanguinem? Quare*



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn34042835X/187 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

*omni cum certitudine corpus & ſangvinem Chriſti ſumamus; nam ſub ſpecie panis datur tibi corpus & ſub ſpecie vini datur ſangvis*; & Pontificiorum transſubſtantiationi & Calvinianorum abſentiæ apertiſſimè contradicunt. Si enim eo modo Chriſtus vinum in ſangvinem ſuum mutavit, qvo in nuptiis Cananæis aqvam mutavit in vinum, tum abolitâ vini non ſubſtantiâ tantum, ſed & ſpecie externâ, de novo produxit ſangvinem, antea non exiſtentem, qvemadmodum in Canâ Galilææ, deſtructa & formâ & ſpecie aqvæ, creatum de novo vinum, non aliunde adductum, in hydriis repræſentavit. At Pontificiorum transſubſtantiatio non eſt mutatio rei totaliter ſublatæ in rem antea non exiſtentem, ut exiſtere incipiat, ſed deſtructio rei qvoad ſubſtantiam, remanentibus accidentibus & ſubſtitutio rei alterius, jamdiu exiſtentis, & in deſtructæ rei locum adductæ. Qvo poſito ſeqvitur, *Cyrillum* intelligi aliter qvam hunc in modum non poſſe: ſi Chriſtus deſtructâ aqvâ vinum de novo condere potuit; qvanto magis remanente vino ſangvinem Chriſti eidem adjungere, adeoqꝫ hanc circa vinum mutationem inſtituere? Juxta Calvinianos autem Chriſtus vinum non transmutavit in ſangvinē, ſed in figuram ſangvinis, niſi dicere velis, Moſen transmutaſſe æneum ſerpentem in Chriſtum, dum figuram eundem conſtituit Chriſti; aut iridem à Deo transmutatam fuiſſe in gratiam Divinam, dum Divinæ gratiæ viſibile ſignum conſtituta fuit.

XXXVI. *Auguſtinus*, Epiſtolâ CVI. *Nullus*, ait, *qvi ſe meminit Catholicæ fidei Chriſtianum, negat, aut dubitat, parvulos, non acceptâ gratiâ regenerationis in Chriſto, ſine cibo carnis ejus & ſanguinis potu, non habere in ſe vitam, ac per hoc pœnæ ſempiternæ obnoxios.* Duo hinc colligo; primò, falſum eſſe, qvod ait *Bellarminus*, libro IV, de Euchariſtiâ c. XXIV. §. *Tertius ritus*; veteres communicaſſe infantes ſub unâ tantum ſanguinis ſpecie. Deinde, verum utiqve eſſe, qvod aliqvando univerſa Eccleſia errare poſſit. Excipit ad utrumq; *Natalis Alexander*, ad prius qvidem ſec.

V. cap. IV. §. X. negando, qvod *Auguſtinus* cenſuerit vel ſumptionem corporis Chriſti ſacramentalem, vel bibitionem ſangvinis ipſius infantibus eſſe neceſſariam. Qvæ enim *Auguſtinus* de corpore & ſangvine Chriſti, infantibus quoque communicandis diſſerat, ea intelligi de virtute corporis & ſanguinis Chriſti, in baptiſmo ipſis communicata. Quod ex loco qvodam lib. II. de peccat. mer. & remiſſ. comprobat, ubi profiteatur: *non ſolum in regnum DEI non baptizatos parvulos intrare non poſſe, ſed nec vitam æternam poſſe habere præter Chriſti corpus, cui ut incorporentur, ſacramento baptiſmatis imbuantur.* Alibi tractatu XXVI. in Joannem in eundem ſenſum *Auguſtinum* dicere: *hoc eſt manducare illam eſcam & illum bibere potum, in Chriſto manere & illum manentem in ſe habere.* Sed verò hoc effugium longè frigidius eſt, qvam ut difficultatem Eccleſiæ Romanæ objectam elidere poſſit. Si enim *Auguſtimo* idem fuit baptizari & communione corporis ſanguinisqve Chriſti uti, cur utrumqve tam ſtudioſa opera conjunxit, ut nec facile unquam, niſi utriusq; qvoq; ſymboli Evchariſtici neceſſariam ſumptionem exprimeret. Qvemadmodum in loco à nobis adducto factum eſt. Et amplius epiſtola ſtatim ſeqvente CVII. hunc in modum ſcriberet: *parvuli ſi in illa parva ætate moriuntur, utiqve ſecundum ea, qvæ per corpus geſſerunt, id eſt, tempore, qvo in corpore fuerunt, qvando per corda & ora geſtantium crediderunt vel non crediderunt, qvando baptizati ſunt vel non baptizati ſunt, qvando carnem Chriſti manducaverunt vel non manducaverunt, qvando ſanguinem biberunt vel non biberunt, ſecundum hæc ergo, quæ per corpus geſſerunt, non ſecundum ea, quæ ſi diu hic viverent, geſturi fuerant, judicantur.* Et qvo pacto aliter intelligere verba ſua poteſt *Auguſtinus*, cum innumeris locis Euchariſtiæ infantibus datæ meminerit, neqve neget *Alexander*, hunc morem tum temporis fuiſſe uſitatiſſimum, eandemqve

demqve in rem innumera ex ipſo *Auguſtino* loca producat. Cum itaqve conſveta fuerit eo tempore infantum communio, qvis unqvam crediderit, *Auguſtinum* de eadem etiam ad utriusqve ſymboli expreſſionem loqventem, virtutem hujus communionis, ex baptiſmo fluentem, intelligere. Qvis non malæ potius cauſæ indicium interpretabitur, *Auguſtini* verba ex proprietate literæ removere & in figuras, in mentem nemini venientes, convertere. Nec etiam *Auguſtinus*, cum negat parvulos intrare poſſe in regnum DEI, aut vitam æternam habere præter Chriſti corpus, cui ut incorporentur, ſacramento baptismatis imbuantur, in ipſo baptismo incorporari Chriſto parvulos aſſeverat, ſed incorporari eos non poſſe Chriſto per corporis ſanguinisqve ipſius participationem profitetur, niſi antea baptiſmo fuerint imbuti. Cum conſtet, ſtatim peracto baptismo ad Euchariſtiæ ſumptionem infantes fuiſſe admiſſos. Ita enim diſerte *Hieronymus* contra Luciferianos: *non poteſt aliqvis baptisma tradere ſine eucharistia.* Ipſeqve *Auguſtinus* ſerm. VIII. de verbis Apoſtoli: *infantes ſunt, ſed ſacramenta Chriſti accipiunt. Infantes ſunt, ſed menſæ ejus participes ſunt, ut habeant in ſe vitam.* Nec in altero qvoqve loco, cum ait Auguſtinus, *hoc eſſe manducare illam eſcam & illum bibere ſanguinem, in Chriſto manere & illum manentem in ſe habere*, manducationem & bibitionem ſpiritualem intelligit, ſed hoc potius affirmat, infantes eo ipſo, dum manducant corpus Chriſti & bibunt ſanguinem ipſius ſacramentaliter, in Chriſto manere & Chriſtum manere in ipſis. Ad poſterius verò excipit *Alexander* ſec. II. diſſert. XVI. pag. 540. qvæ patres univerſi vel patrum pars maxima ad fidem & ſalutem neceſſaria cenſuerint, ea ad Eccleſiæ fidem pertinere, ut iis violatis tota Eccleſia errare dicenda ſit, non item, qvod unus tantum alterq; pater neceſſarium eſſe judicet, ceu in hoc ipſo de parvulorum Euchariſtia ar-

gu-

gumento fiat. Sed meminiſſe debebat *Alexander*, qui hujus ritus in primis ſeculis mentionem faciunt, ad univerſæ Eccleſiæ praxin provocare & qvamqvam non omnes Patres eundem commemorent, reliqvos tamen cæterorum teſtimonium nunqvam in dubium revocare. Si verò non omnium hæc Patrum doctrina fuit, cur ne unus quidem unqvam ullo ſeculo contradixit? Cur in publicis Conciliis de qvibusdam caſibus, qvi nonnunquam circa hunc baptiſmum obvenerunt, certis legibus diſpoſuerunt? Cur adhuc ſeculo IX. Carolus M. conſtituit, *ut presbyter ſemper paratam haberet evchariſtiam, qvo parvulis aliisq; infirmis eam diſtribueret, ne ſine communione neceſſaria morerentur?* Sine communione neceſſaria inqvit. Agnovit itaq; tota Eccleſia infantum communionem ad ipſorum ſalutem neceſſariam eſſe. Qvare *Alexandro* magis ingenue *Maldonatus* Jeſuita: *hæc ſententia*, inquit, parvulorum communionem innuens, *ſexcentos circiter annos viguit in Eccleſia.* Qvæ cum ita ſe habeant, concludo cum ipſo *Alexandro* adverſus *Alexandrum* hunc in modum: *ex patribus coævis & ſupparibus, qvi in eadem Eccleſia floruerunt, vel in aliis Eccleſiis, qvæ cum iſta fuerunt communione conjunctæ*, (qvales fuerunt *Cyprianus*, *Baſilius Magnus*, *Hieronymus*, *Innocentius I.*, *Auguſtinus* & integrorum Conciliorum Patres) *cognoſci certò poteſt, num cum ſui temporis Eccleſia ſenſerint Patres. Cognoſci autem poteſt evidentius, an cum Eccleſia, nedum particulari, ſed univerſali ſenſerint, ſi neminem, nedum in Eccleſia ſua, ſed nec in toto orbe Chriſtiano catholicum doctrinæ ſuæ repugnantem ipſos habuiſſe probetur.* Talis autem notorie & evidenter fuit traditio de euchariſtia infantum.

XXXVII. Cum *Auguſtinus*, libro I. de Pecc. mer. & rem. c. xx. inqvit: *in qvo genere ponemus infantes, in eorum, qvi credunt in Filium, an eorum, qvi increduli ſunt Filio?*

*In neutro, ait aliqvis, qvia cum adhuc credere non poſſint, nec increduli deputandi ſunt*; non negat infantes credere, qvia ſtatim c. XXIII. profitetur: *ubi ergo parvulos ponimus baptizatos, niſi inter fideles?* ſed occupatione tantum ſibi objicit, qvod dici â qvoqvam poſſe intelligebat. Qvi in exponendo *Auguſtino* inter incredulum negativè & poſitivè talem diſtinguunt, partim admittere neceſſe habent, dari aliqvod malum privationi oppoſitum, formaliter poſitivum, partim incredulitatem adſcititiam ab originali, cui ſubjecti ſunt infantes, non diſtinguunt; ceu peculiari diſſertatione docuit *D. Michael, Michaelis* F. *Waltherus.*

XXXIIX. Novatianos & à Novato Carthaginenſi dici, & à Novatiano, Romano, cum qvo ille ſocias conjunxit operas, nihil impedit. Nam & à Manichæo dicuntur Manichæi. Qvamqvam ſi dixerimus, Romanum illum Presbyterum & Novatum vulgò Romæ & Novatianum dictum fuiſſe, qvid commiſerimus abſurdi? Nam non Græci duntaxat, qvorum nomenclaturam *Dion. Petavius* ad Novatianorum hæreſin caſtigat, ſed & Latini, non diffitente *Petavio*, utpote Auguſtinus & Philaſtrius, Novatum appellant illum Romanum. Imò *Ambroſius*, Italus & Romæ vicinus. Hicne ignorare potuerit Presbyteri, & qvidem, ut *Marius Belga* libro de Schiſmate vocat, Cardinalis, nomen? Nempe cum Novatiani nomen qvidpiam ab alio derivatum ſuâ videretur natura ſonare, in Novati nomen vulgò tranſtulerunt. Qvales nominum promiſcuas uſurpationes ex flexionum affinitate oriri & hodierna paſſim teſtantur exempla. De ipſo vero Novatianorum dogmate *Ambroſius*, libro I. de Pœn. c. II. ſolidè judicat: *qvid durius, qvam ut indicant pœnitentiam, qvam non relaxent, cum utiq; veniā negando incentivum auferant pœnitentiæ? Nemo enim poteſt benè agere pœnitentiam, niſi qvi ſperaverit indulgentiam.*

XXXIX. Perqvam inepte *Fr. Coſterus*, Jeſuita, in Enchiridio

chiridio, ex gentilium verbis apud *Minucium Felicem* in Octavio: *alii Chriſtianos ferunt ipſius antiſtitis ac ſacerdotis colere genitalia & qvaſi parentis ſui adorare naturam*; confeſſionis auricularis probat antiqvitatem. Qvid enim, ſi, qvorſum alluderet Cæcilius, hodie planè lateret? Qvid ſi propriè verba caperentur, meramqve continerent fabellam? Non incredibile hoc eſſet ei, qui in verbis proximè antecedentibus legit: *audio, Chriſtianos turpiſſimæ pecudis, caput aſini conſecratum, ineptâ neſcio qvâ perſvaſione venerari.* In qvibus planè nihil vel veritatis vel alluſionis continetur. Si verò qvid, ad qvod reſpexerit Cæcilius, ipſius verba inſinuant, qvid illud ſit, *Nicol, Rigaltium*, hominem Catholicum, ad hunc locum audiamus. Ita ille: *calumnia ſtultiſſima ex eâ occaſione concinnata, qvod Chriſtiani, qvibus contigerat poſt fidem Chriſto datam graviter labi, ita ut Eccleſiæ communione abſtinerentur, ſi pœnitentiæ*, publicæ & Eccleſiaſticæ, *locum dari ſibi flagitarent, hoc tam demiſſè ac ſuppliciter poſcebant, ut acciderent ad pedes & genua fratrum ac ſacerdotum.* Cum qvo planè conſentit ingenuus Cardinalis, *Joannes Bona*, libro I. Rerum Liturg. c. XVII. §. ultimo. Morem verò *Tertullianus* libro de pœnitentiâ deſcribit: *exomologeſis proſternendi & humiliſicandi homini diſciplina eſt. De ipſo quoqve habitu atq; victu mandat: jejuniis preces alere, lacrymari, presbyteris advolvi & charis DEI adgeniculari.*

XL. *Socrates* libro V. Hiſt. Eccl. c. XIX. Presbyterum pœnitentiarium olim conſtitutum eſſe enarrat, ut qvi poſt Baptiſmum in perſecutione Deciana lapſi eſſent, coram illo delicta ſua confiterentur, eoq; pacto ſacerdotem, ſi vellent, in conſcientiam qvaſi ſuam admitterent, qvo eo melius verbi divini medicinam lapſibus ſuis & delictis, Novatiana cumprimis hæreſi ea tum temporis vehementer aggravante, applicare poſſent. Qvod nempe antea, nondum exiſtente tali occaſione, neceſſarium in Eccleſia judica-

judicatum non fuerat. Sublatum autem eundem ait *Socrates* tempore Theodoſii Imperatoris. Ex qvo noſtri colligunt, enumerationem peccatorum particularem pro neceſſariâ, & quæ Divini juris eſſet, tum non fuiſſe habitam. Torqvent ſe *Rob. Bellarminus*, *Dion. Petavius* & *Henr. Valeſius*, nec inveniunt, qvid comminiſcantur. *Bellarminus* hunc Presbyterum ſolis publicè pœnitentibus præpoſitum fuiſſe contendit, cum qvo planè mirum eſt facere Anonymum Anglum, à Lipſienſibus Anno MDC XXCV. recenſitum. Illene publicus eſt pœnitentiæ magiſter, cujus prima virtus eſſe debebat, taciturnitate & prudentiâ pollere? cum peccata, qvæ publica ſunt & publicâ pœnitentiâ eluenda, non ſilentio opus habeant, ſed propalatione. Imponebat hic Presbyter pœnæ loco pro ratione delicti, jejunii, continuarumqve precum exercitium. At verò nec hæc pertinent ad publicam pœnitentiam. Poſt Presbyteri depoſitionem unumqvemqve pro arbitrio & pro animi ſui conſcientiâ ad Sacramentorum communionem accedere ſivit Nectarius. Itane publicam pœnitentiam, tanto antea rigore defenſam, tot Conciliorum canonibus ſtabilitam & poſtea in ipſo Imperatore exercitam, hominem unum, Nectarium, è medio tollere? Flagitiis omnibus & ſceleribus latam aperire portam? Ipſe *Nectarii* ſucceſſor *Joannes Chryſoſtomus* Hom. LXXXII. in Matth, miniſtris adhuc ſui temporis inculcat, ne ad ſacroſanctum epulum vel petulcos ſues, vel ſordidiſſimos canes, vel peccatis manifeſtis inqvinatos, ſi & dux ſit, ſi conſul ſit, ſi diademate ſit ornatus, admittant, ſed memores, ſanguinem eorum à manibus ſuis reqviſitum iri, omnes ſimpliciter pellant, qvos indignos videant accedere. *Qvod ſi ipſe pellere non audes*, ait Epiſcopus ad qvemlibet paſtorem fidei ſuæ curæqve commiſſum, *mihi dicas; non permittam iſta fieri, animam prius tradam meam, qvam dominicum alicui corpus indigne,*

*digne, ſangvinemqve meum effundi potius patiar, qvam ſacratiſſimum illum ſangvinem præterqvam digno concedam.* Qvî itaqve diſciplina publica per abrogationem presbyteri pœnitentiarii potuit eſſe ſublata? Hunc tantũ Presbyterum ab officio ad tempus remotum eſſe, non officium ipſum abrogatum, contendit *Valeſius.* Perqvam profectò abſurdè. Nam Nectarius *Sozomeno* πρῶτος, *primus*, dicitur Presbyterum ſuſtuliſſe. Qvid opus fuerat dicere, *primus*, ſi ad tempus tantum eundem exautoravit? Et Nectarii exemplum omnes ferè Epiſcopos poſtea ſecutos eſſe, idem affirmat *Sozomenus.* Ergo & cæteri Epiſcopi, apud qvos pœnitentiarii munus offendiculum hactenus nullum pepererat, in abolendis Presbyteris tempori tantum, paulò poſt functionibus ſuis eosdem reddituri, inſervierunt? Sed audiamus *Sozomenum*, libro VII. Hiſt. Eccl. c. XVI. *Valeſio* in os contradicentem: *atqve ex eo tempore id* (abrogatio illa) *firmum ac ſtabile permanſit, vetuſtate, eiqve adjunctâ gravitate jam tum, ut opinor, in laxam ac diſſolutam vivendi rationem paulatim delapſa.*

XLI. Qvantum diſcriminis poſt tria priora, eaqve Apoſtolicæ ſimplicitati proximiora ſecula, qvaſi ſubito & præcipitato gradu, vel in ſolo argumento de Sanctorum cultu, paſſa fuerit Eccleſia, præcipuè Græca, duorum tantum teſtimoniorum collatione docebimus; qvorum prius nobis ſuppeditat *Theodoretus* libro IIX. de curandis Græcorum affectionibus ſub finem, ubi hæc habet: *martyrum templa conſpicua cernuntur, magnitudineqve præſtantia, omni præterea ornatus genere variata, ſplendoremqve qvodammodo pulcritudinis ſuæ latè fundentia. Qvi homines proſpera ſunt valetudine conſervari eam ſibi à martyribus petunt; qvi verò ægritudinem aliqvam patiuntur, ſanitatem expoſcunt. Inſuper & ſteriles viri & mulieres dari ſibi filios petunt, qvi verò parentes ſunt, integra ſibi & propria cuſtodire, qvæ conſecuti ſunt, dona. Item qvi peregrè aliqvò proficiſcuntur, petunt mar-*

*tyres comites ſibi eſſe in viâ, vel potius itineris duces, qvi verò jam ſoſpites redierunt, gratias agunt, acceptum beneficium confitentes. Non qvi ſe ad Deos accedere arbitrentur, ſed qvi orent Dei martyres, tanqvam Divinos homines, interceſſoresqve ſibi eos apud Deum advocent ac precentur. Pie vero fideliterqve precatos ea maximè conſeqvi, qvæ deſiderant, teſtantur illa, qvæ votorum rei dona perſolvunt, manifeſta nimirum ſanitatis indicia. Nam alii qvidem oculorum, alii verò pedum, alii porrò manuum ſimulacra ſuſpendunt, ex argento aurove confecta.* Qvanta hæc eſt, obſecro te, vaniſſimorum & ſi dicendum, qvod res eſt, idololatricorum honorum luxuria, qvæ ne gry qvidem fundamenti vel in Scripturâ habet, vel in ratione? Cum hac verò compone primævum iſtud cultus genus, qvo Polycarpi oſſa cineresqve proſecuti ſunt Smyrnæi, qvorum verba nobis conſervavit *Euſebius*, libro IV Hiſt. Eccl. c. XV. *Atqve ita nos demum oſſa illius, gemmis pretioſiſſimis cariora & qvovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus. Qvo etiam in loco nobis, ſi fieri poterit, convenientibus, concedet Deus, natalem ejus martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qvi glorioſo certamine perfuncti ſunt, tum ad poſteros hujusmodi exemplo erudiendos & confirmandos.* Paulò ante dixerant: *Chriſtum, utpote Filium Dei, adoramus, martyres verò tanqvam diſcipulos & imitatores Domini, merito amore proſeqvimur, ob eximiam eorum benevolentiam, qvam erga regem & magiſtrum ſuum declararunt. Qvorum nos qvoqve conſortes ac condiſcipulos fieri omnibus modis optamus.* Condunt oſſa, ad eadem conveniunt, virtutes martyrum celebrant, ut easdem imitari, inqve fide confirmari poſſent. Nihil de templis, iisdem exſtructis, nihil de invocatione, nihil de auxilio, petentibus præſtito, nihil de anathematibus, ipſis ſuſpenſis. Non eqvidem me latet, eſſe criticos, qvi vel negent, libros *Theodoreti* de curandis Græcorum affectionibus genuinum eſſe ejus ſcriptoris fœtum, vel ſaltem encomia illa in martyres conjecta laciniam eſſe, à recentiori

manu aſſutam. Qva de re *Gerhardus*, *Rivetus*, *Cocus*. Sed rationes hujus ſuſpiciunculæ non tanti eſſe videntur, qvæ ſcriptum illud reddant hypobolimæum. Diſſolvit easdem *Natalis Alexander* ſec. V. cap. IV. p. 149. Neqve verò deſunt & alii eo tempore Patres, qvi martyrum virtutes ex nimia earundem æſtimatione in cœlum usqve extollentes ea ipſis adſcribere viſi ſunt, qvæ honorem arguant ſupra creaturarum conditionem exſurgentem. In qvibus ipſis tamen animus ipſorum qvam calamus purior fuit, cum alibi ſanctorum invocationem diſertis verbis rejecerint.

